LVIII
B.
58

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVIII
B
58
NAPOLI

IMPP.

ROMANORVM NVMISMATVM SERIES.

à

C. IVLIO CÆSARE

ad

RVDOLPHVM II.

Addita eſt breuiter ipſorum vita, auerſa pars nummorum, & eorundem explicatio.

Per

LEVINVM HVLSIVM.

SECVNDA EDITIO.



FRANCOFVRTI,

Impenſis authoris. *Cum Priuilegio S. Caſ. Maieſt.*

M. DC. V.


Ballesdens

REVERENDISSIMO ILLVSTRISSIMOQVE PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOANNI ADAMO, *Archiepiſcopo Moguntino, S. Rom. Imp. per Germaniam Archicancellario & Principi Electori, &c. Domino ſuo clementiſſimo.*

POETA Horatius, Princeps Illuſtriſſime, ſcribẽs de arte Poetica, eum Poetam omne punctum tuliſſe non immeritò inquit:

—— *Qui miſcuit vtile dulci,*
Lectorem delectando, pariterque monendo.

Sic enim homines ferè à natura comparati ſunt, vt ea ſuffragiis ſuis comprobent & ſectentur maxime, quę cum vtilitate quam adferunt, honeſtam adiunctam habent delectationem. Neq; tantum in Poematibus id ita ſe habere comperimus: verum etiam in alijs rebus ac ſtudijs omnibus. Eiuſmodi autem eſſe ſtudium Antiquitatis, ac imprimis eam eius partem, quæ inueſtigationem veterum Inſcriptionum & Numiſmatum complectitur, res manifeſtior eſt, quàm vt longa demõſtratione, præſertim apud R. Celſ. Tuam indi-

geat. Certè vix Princeps, vix nobilis, vix in re literaria mediocriter verſatus, ſive Theologus, ſive Medicus, ſive Iuris peritus, hodiè reperiatur: qui cognitionem Inſcript. & Numiſmatum, ſaltem mediocrem, ſibi non optet, utque ad eam perveniat, magnos ſæpe ſumptus faciat. Si in conquirendis aureis argenteiſue nummis multum pecuniæ inſumeretur, id quidem non ita mirum videri deberet, Iam verò quum nummum æreum, qui ſi ad valorem materiæ ex qua conſtat reſpiciamus, non ſit Grutzigeri, æſtimari, & vænire videamus ſex, decem, viginti, quinquaginta, Imo aliquot centum aureis, quod poſterius in Othonis primi, reliqua in Cæſaris, Vitellij, Pertinacis, Didi Iuliani, Albini, Elagabali, Gordiani Africani, & aliorum, uſu venire videmus: cumque viri prudentes ac omnium ſuffragijs doctiſſimi, tantam fecerint & faciant indies iacturam temporis, vt curis alijs poſtpoſitis partes averſas Numiſmatum nobis exhibeant, & explicent: ſtatui aliter non poteſt, quam ſtudium hoc longè maximam habere delectationem. Dulcedini huic quam attigi magis quam explicaui,

accedit

accedit alterum, quo homines ſummoperè affici ſolent, vtilitas. Sunt quidem, qui Numiſmata (etſi antiquiſſima ſint, vtpote quæ in vſu fuerint, inde à Iani temporibus) parui faciant: & omne tempus quod in ijs acquirendis & inquirendis eorum inſcriptionibus impenditur, amiſſum eſſe ſtatuãt: nihil enim eam inueſtigationem habere vtilitatis. Verũ illi, (quod bona ipſorum pace dictum ſit) mihi in maximo errore verſari videntur. Neque enim in numis antiquis, priorum præſertim Cæſarum, tantum reperiuntur figurę, eo artificio elaboratæ, ut ſibi optimi quique artifices ſeculi noſtri, pictores, cælatores, alij: eas imitandas ſibi proponant: ſed certum eſt prætereà, fatẽtibus id omnibus doctis, docere ſæpè Numiſmata, ſive de vocibus nonnullis latinis, ſive de rebus plurimis loqui velimus, quæ ex libris non facilè quis addiſcat.

Exemplo vno atque altero adlato, res fiet manifeſtior. In Nummo Neruæ decimi tertij Imperatoris, quem proponimus pag. 27. duæ exhibenter paſcentes mulæ, cum curruculo: addità Inſcriptione: VEHICVLATIO-

NE ITALIÆ REMISSA. Ea docet, Principē hunc liberaliſſimum, ſubditis vehiculationis & equorum vectariorum onus remiſiſſe. Hæc enim vehicula & equi certis locis diſpoſiti, nocte dieque ad mandatum principis, operis coactis, (quæ maxima erat ſubiectio) parati eſſe debebant.

Inſcriptio Numi ærei Hadriani, habentis figuram ſeminudam, ſedentem ad tres obeliſcos, & dextrâ rotam tenentem, docet clarè, quo tempore Circus Romæ ab Hadriano fuerit exſtructus, Anno nimirum ab Vrbe condita, octingēteſimo ſeptuageſimo quarto. Quod ut & alia plura eiuſmodi, iucunda cognitu, & neceſſaria ad ſtudium Antiquitatis, nos latuiſſēt, ſi Numiſmata (ob id facta à Romanis & aliis ex materia durabili) corū memoriam non conſeruaſſent. Herodiani locus qui extat libr. 4. deſcribit nobis & pōpam funebrem & Impp. Rom. Conſecrationem, quam Græci dicunt APOTHEOSIN. Intelligi quidem ille per ſe poteſt: nunquam autem melius quam ſi cum auerſa parte Antonini Pij, quam exhibemus pag. 32. confeſratur. Et vnde viri docti varia Ethnicorum

Templa,

Templa, aras, ornamenta, Pontificalia vaſa, aliaq; inſtrumenta, quibus in ſacrificijs ſuis vtebantur? vnde ſellas curules, faſces, arma, inſtrumenta bellica, ſigna militaria, de quibus omnibus mentio paſſim extat apud authores, nobis explicarunt? Fatētur ipſi ab Inſcript: & numis Antiquis, meliorem partem eorūm que in his adferunt, deſumptam eſſe.

Quæ cū ita ſe habeant, Princeps Illuſtriſſimè, adductus cōſideratione vtilitatis publicæ: & illectus dulcedine, quā fateor me maiorem in inveſtigandis nūmis antiquis percepiſſe, quā putaſſem, & ſæpè, cum ad rem familiarem reſpicerē, optaſſem: cœpi ex infinitis penè nūmis, colligere Seriem Impp. Rom. cū omnibus quotquot reperire potui partibus auerſis, eorūdemq; à Iulio. Cæſ. ad Rudol. II. Imp. Dūq; N. Clem. conſcribere explicationes. Quod quidē opus magnū & perdifficile in præſentia ſub Illuſtriſs. R. Cel. T. nomine edidiſſem; ſi res anguſta domi permiſiſſet, & nonnulla adhuc, quæ neceſſaria erant ad eius perfectionē, nō defuiſſent. Cum enim indies apud viros doctos, Antiquitat. ſtudioſos, partes averſas pulcherrimas, quas videre nōdū

contigerat, invenirē: diligentius eas inquerēdas, & operi, quo tāto gratius eſſet lectoribus, addēdas exiſtimaui. Interim ne nūnullos Antiquitatis ſtudioſos amicos meos, qui auebāt eā videre ſeriē (quod hactenus à nemine hoc ordine eſſet edita,) nimis diu ſuſpēſos detinerē, ſpecimen quoddā eius operis tanquā prodromum emittendū cēſui, qua interim dum opus illud maius abſoluitur, ſeſe oblectarentur. Quod autē eum laborē meū, & quaſi primitias alterius illius, v olēte Deo, ſubſecuturi, Illuſtriſ. Celſ. T. nomini inſcripſi, factū eſt nō tantum vt eo gratior eſſet omnibus ad quos perueniret: verū etiam, quòd de eo R. Celſ. Tuā optimè iudicare poſſe, re ipſa cognoui. Exiguus eſt, fateor: ſpero tamē fore vt R. Celſ. T. eū patrocinio & fauore, pro innata ſibi benevolētia, quod ſubmiſſiſſimè rogo, nō dedignetur. Deū optimū maximū ex animo oro, Princeps Illuſtriſs. ut R. Celſ. T. quā diutiſſimè incolumen præſeruet, eiq; omnia ſalutaria benignè largiatur. Francofurto. Calend. Aprilis. An. Salutis. M. D. C. IIV.

Reu. Celſ. T.

obſequentiſſimus

Leuinus Hulſius.

ELENCHVS AVTHORVM QVI DE NVMISMATIBVS SCRIPSERVNT, ET eorum figuras exhibuerunt: quorum præcipuis in hoc Opuſculo uſi ſumus.

PRIMVS omnium qui effigies Impp. in Lucem dedit, fuit, ut nonnullis placet, *Cardinalis Sadoletus*, ſiue ut alijs, *Andreas Fuluius*: Romæ Ann. 1517. ſub titulo: *Illuſtrium imagines*. 1517

Hunc imitatus eſt *Ioannes Huttichius*, Argentinæ An. 1525. cuius Liber etſi egregium habeat titulum, icones tamen Impp. malè cum numiſmatis in eo congruunt, Titulus eſt: *Imperatorum Rom. Libellus, una cum imaginibus ad viuam effigiem expreſſis*. Excuſus fuit poſtea Lugduni, An. 1550 & 1554. ſed quod ad imagines nihilo correctior. 1525. 1550. 1554.

Munſterus quoque *Cuſpianus*, *Abbas Vrſpurgenſis* & alij, imagines Impp. exhibuerunt, ſed etiam parum cum nummis congruentes.

Wolffgangus Lazius ſuæ *Reipubl. Romanæ*, Viennæ 1551. varia addidit numiſmata Romana. 1551

Commentarios etiam *de rebus Græciæ*, diuerſis numis Græcis illuſtrauit.

Ant à Piſo ſiue te Poix, ſcribit *Lazium*, ediſſe librum, quem ego nunquam vidi, cui titulus: *Commentariorum vetuſtorum numiſmatum ſpecimen exile, ceu ex tecto tegula, &c.* Et eſt hic liber Epitome magni alterius operis, eodem titulo, quod abſolutum à ſe fuiſſe dicit, & continere ſepties centena numiſmatum diuerſorum millia, ſeptuaginta etiam tabulas quibus variarum Rerum Publicarum, vt Rom. Græcæ, & aliarũ, explicatur.

Iacobus de Strada Mantuanus, edidit Lugduni 1553

1553. *Epitomen Theſauri Antiquitatum*, qua propoſuit, optimo ordine & maxima diligentia, anteriores partes numiſmatum, ligneis figuris abſque poſterioribus, quarum tamen in ſcriptis meminit. Hoc opus imitatus
1558 eſt quidam Tiguri Anno 1558. Et poſtea Rouille Lugduni, ſub titulo, *Promptuarium numiſmatum*. Tantum verò abeſt ut opus editione ſua illuſtrarit, ut potius corruperit, additione multorum numorum fictitiorum.

1553 *Æneas vico*, Parmēſis, vulgavit Venetiis An. 1553. numiſmata *XII. primorum Impp.* cum plurimis corū partibus averſis, artificioſe æri inciſis. Fuit hic primus omnium (niſi fallor) qui partes alteras expoſuerit.

1555 An. 1555. præſtitit. *Il diſcorſo ſopra li medaglie.*

1557 An. 1557. *Aug. ſtatum imagines.*

1562 An. 1562. aliquot part. auerſas. *Iul. Caſ.* perdoct. explicata.

Hubert. Goltzius, omnes in hoc genere facile ſuperavit.
1557 Præſtitit enim An. 1557. Antuerpiæ *Seriē effigier. Impp.* forma grandiuſcula, abſque partibus tamen averſis.

Antea ediderat *Faſtos Conſulares*, cū denariis Conſulū.

Item *vitā Iul. Caſaris*, cum permultis ipſius partib. averſis.

Vitam etiam, & *poſteriores partes Auguſti.*

Item *Graciā aoctiſſimè deſcriptam*, cum variis tam Italiæ quam Græciæ numis.

1559 *Sebaſtian. Erizzo* nobilis Venetus, An. 1559. Venetiis publicavit opus perdoctum, *Il diſcorſo ſopra li medaglie degli Antichi*, ligneis figuris, ſimul expoſitis partibus averſis.

1577 *Fulvius Vrſinus*, Romæ dedit An. 1577. *Familias Romanorum* doctiſſimè deſcriptas, & numiſmata in ære artificioſiſſimè ſculpta.

1579 *M. Anthon. lepoix*, præſtitit, *Le diſcours ſur les medailles anticques*, Pariſiis 1579. in quo varia numiſmata pulcherrima, typis æreis etiam exhibentur.

1581 *Guillielmus du Choul*, nobilis Gallus, Lugduni, An. 1581

in lu-

in lucem edidit, *Le diſcours de la region des anciens Romains*, cui enarrationi ſuæ raros nummos, affabre delineatos, etſi ligneis figuris, exhibet.

Don *Antonij Auguſtini*, Archiepiſcopi Tarraconēſis, *Dialogi ſopra le medaglie*, editi ſunt Romæ in quarto æneis An. 1592. Et ibidē ligneis figuris, An. 1600. Quibus varii & rari exhibentur nummi. 1592 1600

Sābucus, in fine ſuorum Emblematum, varia etiam habet numiſmata, quæ ſæpè ex offic. Plātin. prodiere.

Itē *Glaude Guichard* en ſes funerailles.

Gabriel Simeō, Nel Illuſtrationi dEpitafi & di medaglie.

Heliſeus Röſlein D. in ſua deſcriptione, deß Elſaß vnd Waßgawiſchen gebirgs. Argentinæ *An.* 1593. expreſſit plurima numiſmata quæ ibidem reperta ſunt. 1593

Abrahamus Ortelius in ſuo Theatro Orbis, etiā plurima habet.

Item *Cæſ. Baronius* in ſuis Annalibus.

De numiſmate cenſus à Phariſęis in quęſtionē vocato, diſſertationem perdoctam edidit. *D. Marquardus Freherus*. Heydelbergæ 1599. 1599

Eodē Anno, præſtitit L. Hulſius. *XII. primorum Cæſ. & LXIIII.* ipſorum parentum & vxorum Spiræ. 1599

Tandem prodière *Reliqua librorum Æneæ Vico*, continentia varias partes auerſas pulcherrimas, in ære inciſas, Impp. Neruæ, Traiani, Antonini Pii, Marci Aurelii. & L. Veri. Editus eſt liber Venetiis. 1601. 1601

Superiores omnes authores, excuſi ſunt cum figuris.

Conſtāt. Landus Illuſtriſs. Comes, Italus, aliquot Impp. Rom. numiſmata eruditiſſimè explicuit, Liber Venetijs eſt editus. Etiam Lugduni, in quarto, An. 1560. ſed abſque figuris. 1560

Adolphus Occo D. Medicus, Auguſtanus, accuratiſſimè emiſit *Inſcriptiones numiſm. Impp.* à Pompeio ad Heraclium, Auguſtę An. 1601 etiam abſque figuris. 1601

Hi authores plerique apud me inueniuntur.

SERIES

SERIES CÆSARVM, CVM PARTIBVS AVERSIS quæ in hoc libello proponuntur.

1. Caius Iul. Cæſar.
L Muſſidius Longus.
2. Octau. Auguſtus.
Imp. Cæſar. & Ian. Clu.
3. Tiberius Cæſar.
Ciuitatib⁹ Aſiæ reſtitutis.
4. C Cæſar Caligula.
Agrippina, Druſilla. Iul.
5. Claudius Cæſar Aug.
Imper. recept.
6. Nero Claudius Cæſ.
Sabina.
7. Sergius Galba.
Hiſpania.
8. M. Sil. Otho.
Securitas P.R.
9. Aul. Vitellius.
Liberi Imp German.
10. Flau. Veſpaſianus.
Amphitheatrum.
11. Titus Veſpaſianus.
Iud. Cap.
12. Domitianus.
Ioui conſeruat.
13 Nerva Cæſar.
Vehiculatione Ital &c.
14 Traianus.
S.P Q.R. Optimo princ.
15. P. Ælius Hadrian.
An. DCCCLXXIIII.
16 Antoninus Pius.
Conſecratio. S.C.
17. M. Aurelius Ant.
Equeſter. *Imp.* VIII.
18. L. Verus.
3. Trophæa. *Tr.* P. VII.
19. L. Aur. Commodus.
Tellus ſtabil. P M. T. R. P.
20 P. Helu Pertinax.
Prouidētia Deorū Cos. I.
21. M. Did. Iulianus.
Fortuna. P M TR P. *Cos.*
22. C. Peſc. Niger. Iuſt.
Bona ſpei.
23. L. Sept. Seuerus.
Indulgentia Augg.
24. Clodius Albinus.
Clementia aug. Cos II.
25. Anton. Caracalla.
Circus. P. M. TR. P. 16.
26. Sept. Geta.
Nobilitas.
27. M. Opel. Seu. Macrin.
Roma Fel.
28. Ant. Diadumenianus.
Princ. Iuventutis.
29. M. Ant. Elagabalus.
Sacerd. Dei Solis, &c.

30. M.

30. M. Aur. Seu. Alexander.
Liberalitas Auguſt. &c.
31. C. Iul. Maximinus.
Victoria Germanica.
32. C. Iul. Ver. Maximus.
Pietas Aug.
33 M. Ant. Gordian. Afr.
Securitas Augg.
34 D. Cael. Balbinus.
Fides mutua Augg.
35. M. Clod. Pupienus.
Concordia Augg.
36. M Ant. Gordianus III.
Traiectus Aug.
37. M. Iul. Phillippus.
Æternitas Augg.
38. M. Iul. Philippus.
Fides exercitus.
39. Cn. Meſſ Qu. Traian. Dec.
Genius exerc. Illuſtric.
40. Q. Her. Etr. Meſ. Decius.
Pietas Augg.
41. C. Vib. Trebun. Gallus.
Aduentus Augg.
42. C. Vib. Voluſianus.
Felicitas Publica.
43. C. Iul. Æmilianus.
Apol. Conſeruat.
44. P. Licin. Valerianus.
ΕΦΕΣΙΩΝ ΑΡΤΕ.
45. P. Licin. Gallienus.
Col. Iul. Aug. fel.
46. Salon. Valerianus.
Conſecratio.
47. Poſtumus.
Vic. Germ. P. M. TR. &c.
48. M. Aur. Claudius.
Annona Aug.
49 C. M. Aur. Quintillus.
Marti Pacifero.
50. Val. Aurelianus.
Oriens Aug.
51. M. C L. Tacitus.
Lætitia Fund.
52. M. Annius Florianus.
Moneta Aug.
53. Aur. Valer. Probus.
Victoria Germ.
54. M. Aur. Carus.
Fides milit.
55. M. Aur. Numerianus.
Mars victor.
56. M Aur. Carinus.
Principi Iuvent.
57. C. Val. Diocletianus.
Iovi Augg.
58. M. Aur. Val. Maximian.
Vot XX. H.
59. Fl. Val. Conſtantius.
Prouidentia Cæſſ.
60. Gal. Val. Maximianus;
Concordia Militum.
61. Fl. Val. Severus.
Virtus Augg. &c.
62. Gal. Val. Maximinus II.
Soli inuicto Comiti.
63. M. Aur. Maxentius.
Æternitas Augg. N.

64. C.

64. C.Val.Licin. Licinius.
Iovi Conſervatori &c.
65. Fl.Val.Conſtantin.Max.
Salus Reip.Danu.
66. Fl.Iulius Criſpus.
Roma Æterna PR.
67. Fl. Conſtantinus II.
Virtus exercitus.
68. Fl.Conſtans.
Fœlix temp. repara.
69. Conſtantius.
Hoc ſigno victor &c.
70. Dn.Magnentius.
Salus D D. N N. A V G.
71. Dn.Decentius.
Victoria D D. N N. &c.
72. Fl.Cl.Iulianus.
Securitas Reipub. &c.
73. Iovinianus.
Securitas Reipub.
74 Valentinianus.
Reparatio Reip.
75. Valens.
Gloria Romanorum.
76. Gratianus.
Gloria novi ſeculi.
77. Magnus Maximus.
Virtus Romanorum.
78. Valentinianus Iun.
Vrbs Roma.
79. Fl.Theodoſius Mag.
Concordia Augg.
80. Arcadius.
Virtus exercitus.
81. Honorius.
Triumphator Gent.
82. Theodoſius Iun.
Victoria Augg.
83. Valentinianus III.
† *Comob.*
84. Fl.Valer. Marcianus.
Victor. Auggg.
85. Leo Magnus.
Victor Auggg.
86. Zeno.
Victoria Auggg.
87. Anaſtaſius.
Duplex crux.
88. Fl. Valer.Iuſtinus.
* M. B. †.
89. Iuſtinianus.
† K *.
90. Iuſtinus II.
Victoria Auggg.&c.
91. Tiberius II.
Gloria orbis Terrar.
92. Mauritius.
Victoria Augg. P.
93. Focas.
Victoria Augu.
94. Fl. Heraclius.
Super Alpidem et. &c.
95. Hera.Conſtant.
Victoria Augg.
96. Fl. Heraclionas.
X.X.†.Rom.
97. H.Conſtans.
Vot.XXX Mult.
98. & Conſtantinus.
....
99. F.H.*Iuſtinianus. II.*
Victoria Augg.

100. Leontius:
Victoria Aug.

101. Tiberius III.
K.†.*R.I.* < *ZZO.*

102. Philippicus.
Victoria Auſij 2.

103. Anaſtaſius II.
Victoria Auguſto.

104. Theodoſius III.
Victoria Augg.

105. Leo III.
ΕΝΘΕΟ.&c.

106. Conſtantinus VI.
Columa, cum 2. ſtellis.

107. Leo IIII.
IHS XPS REX regnan.

108 .Fl.Conſtantin.&Heren.
Gloria Imp. R.

109. Carolus Magnus.
Biceps Aquila.

100. HLudouicus Pius.
Victoria Aug.

111. HLotharius.
Concordia militum.

112. Ludovicus II.
Tres figuræ.

113. Carolus II. Calvus.
Lætitia.

114. Carolus III. Craſſus.
Victoria Aug.

115. Arnolphus Rex.
Temporum fœlicitas.

116. Ludouicus IV.
Religio Chriſtiana.

117. Conradus.
Inſignia Franconiæ.

118. Henricus I.
Victoria Æterna.

119. Otho II. Magnus.
Æternitas.

120. Otho III.
Lætitia.

121. Otho IIII.
Pax perpetua.

122. Henricus II.
Conſeruatori Panno.

123. Conradus II.
Inſignia Franconiæ.

124. Henricus III.
• *Signum Henrici.*

125. Henricus IIII.
Signum.

126. Henricus V.
Signum.

127. Lotharius II.
Signum.

128. Conradus III.
Inſignia Sueuiæ.

129. Fridericus Barb.
Signum.

130. Henricus VI.
Signum.

131. Phillippus III.
Inſignia Sueuiæ.

132. Otho V.
Signum.

133. Fridericus II.
Signum.

134. RudolphusHabsb.
vtrum lubet.
135. Adolphus.
Feſtina lentè.
136. Albertus.
Tolle moras.
137. Henricus VII.
Fide & conſilio.
138. Fridericus III.
Adhuc ſtat.
139. Ludouicus V.
Diuiſum iungam.
140. Carolus IIII.
Nullius pauet &c.
141. Wenceſlaus.
Tempeſtanti par.
142. Rupertus.
miſeria, res di.
143. Sigiſmundus.
Neſcit regnare &c.
144. Albertus II.
Victoria neſcit.
145. Fridericus IIII.
Hic regit ille &c.
146. Maximilianus I.
Per tot diſcrim.
147. Carolus V.
Plus vltra.
148. Ferdinandus.
Aquila electa.
149. Maximilianus II.
Dominus provid.
150. Rudolphus.
Adſit.

FINIS.

LEVINVS HVLSIVS LECTORI
Antiq. Studioſo S.

INTER *eos, Lector ſtudioſe, qui de ſerie Numiſmatum Impp. Rom. & auerſis partibus eorum ſcripſerunt accuratè, duo mihi præ cæteris accurati viſi ſunt, Æneas Vico Parmenſis, & Adolphus Occo Auguſtanus. Digeſſit Occo librũ Inſcriptionum Numiſmatum Impp. &c. ea certe methodo & diligentia, vt ſi imagines additæ, & pleniores adhibitæ fuiſſent explicationes, nihil amplius deſiderari potuiſſe in hoc genere à quodam videretur. Æneas verò, cùm Iul. Cæſarem ſeparatim, tùm* XII. *primorum Impp. Imagines cum plurimis eorum partibus auerſis in lucem dedit: daturuſque fuiſſet reliquas proculdubiò, ſi vixiſſet. Quod ſatis oſtendunt eius Reliqua, Venetiis an. 1601. edita, quæ habent quinque ſuccedentes* XII. *primis Impp. (omiſſo tamen Hadriano) ſed nulla adiecta, niſi in Cæſare, poſteriorum partium, declaratione. Vtriuſque laboribus adductus, & conſideratione vtilitatis maximæ, quæ inde redire poſſet ad omnes Antiquit. ſtudioſos, inductus, cepi cogitare de* SERIE NVMIS. IMPP. ROM. CVM OMNIBVS QVOTQVOT REPERIRE POTVI PARTIB. AVERSIS *concinnanda. Quo quidem in opere antehac à me inſtituto, eatenus ſumptu non mediocri, & labore maximo ſum progreſſus, vt à Iul. Cæſare ad Carolum Mag. deduxerim: ordine Occonis ferè obſeruato, & partibus auerſis explicatis. Statuerã partem huius operis in lucem dare: verum cum ea, quæ opus erant, omnia habere commodè non poſſem: nonnullæ etiam deeſſent adhuc auerſarum partiũ declarationes: editionem adhuc ad tempus differendũ vidi. Interim vt ſpecimen aliquod maioris illius ac difficillimi operis haberent qui deſiderãt, Imagines omnium Impp hoc libello congeſſi, partem vnam auerſam, quam ex pulcherrimis putaui, adieci, vnà cum perbreui expoſitione, & vitæ Imp. cuiuſq; deſcriptione. Quæ in re quid à me præſtitum ſit, aliorum eſto iudicium Certè lector, tibi gratificari ſtudui. Tuum eſt ſtudium meum probare. Quod ſi te facere ſenſero, & beneuole has primitias excipere, cõtendam omni modo, vt Opus illud maius quamprimum ex parte, & deinceps perfectum habeas. Vale, Ex Muſæo. Francoforti 14. Aprilis. An. Dn.* M.DCIII.

C. IVLIVS CÆSAR, ROM. IMP. I.

CAius Iulius Cæſar, primus Romanorum Imperator. Initio Hiſpaniæ Quæſtor; deinde Pontificatum maximum adeptus; Prætor & Conſul creatus; Galliam ab Alpibus, & Oceanum bis claſſe trāſgreſſus, Britanniam ſubegit. Cum ei triumphus à Pompeio negaretur, armis eum Vrbe pulſum, in Theſſalia ad Pharſalum deuicit. Anno ab V. C. 705. Capite eius allato, fleuit, & honorificè ſepeliri fecit. Hoc anno Cæſar Trib. Poteſt. cum Dictatura in perpetuum accepit; & ſic Romanorum Ariſtocratiam, in Monarchiam redegit. Annum ad curſum Solis accommodauit. Menſis Quintilis ab eo Iulius dictus eſt Eloquentia erat tanta, vt Cicero dubitaret cui deberet cedere. Dictare & audire ſimul potuit. Epiſtolas vero maximarum rerum, quaternas pariter librariis dictare: aut ſi nihil aliud ageret, ſeptenas. Per notas ſcripſit, vt nullus ne verbum quidem intelligeret. Natauit ſemel 200. paſſus, elata læua, ne libelli, quos tenebat, madefierent. Quatuor duxit triumphos. Clementia omnes ſuperauit. Sed habuit hic animus tam bellicoſus, quibus argui, at vix carere potuit. Cum nullos haberet filios, Octauiū in Familiam, nomenq; adoptauit. Obæratorum prodigæq; iuuentutis ſubſidium fuit vnicum, pronus ac ſumptuoſus in libidines, corrupit plurimas & illuſtres fœminas. Impudicitiæ infamatus eſt. Comitiali morbo laborauit. Inter cæteros honores ipſi à Senatu decretos, hi fuere: vt ſignaretur pecunia ipſius imagine, lauream ſemper geſtaret, ſella curuli, aut aurea & prænomine Imperatoris, vteretur. Qua dominatione abuſus, in Curia Pompeij, dum Senatum haberet, tribus & viginti plagis confoſſus ab amiciſſimis, periit. ab V. C. 709. ante Chriſti nat. an. 42.


Vixit Annos 55 Menſ. 8.

Imperauit an. 3. M. 8.

Sepultus in Campo Martio. Diuusq; appellatus eſt.

Cæſaris Numiſmata, ex omni metallo, cara ſunt.

Cicero



Cicero in Officiis, de Cæſare.

Quod ſi violandum eſt ius, regnandi gratia violandum eſt: aliis rebus pietatem colas.

AVerſa pars huius nummi indicat cuſum fuiſſe Romæ, cum L. Muſſidius Longus trium vir Monetalis eſſet, quod & ex alio nummo aureo Cæſaris, inſcriptione eadem ferè quâ hîc noſter conſtat:

L. MVSSIDIVS LONGVS III. VIR. A. A. A. F F.

quod legendum, Triumvir, Auro, Argento, Aere, Flando, Feriundo. Officium iſtorum III. virorum erat, curare, ne nummus adulterinus conflaretur: nec pondus minuendo: nec materiam viliorem admiſcendo: nec deniq; aliam pro alia ſubſtituendo. Hæc poteſtas Romæ minoribus Magiſtratibus commiſſa fuit, teſte Cicerone Lib. 3. de leg. Prima nota auerſæ partis, eſt gubernaculum nauis, & principem orbis terrarum metaphorice declarat: Quæ ſequitur pila, terræ globum per regiones diuiſum ſignificat. Cornu, pilæ ſuperpoſitũ, & omnium fructuum genere plenum, terræ diuitiarum copiam. Proxima vero, Caduceus eſt, qui Pacis atque Concordiæ apud veteres typus fuit. Nouiſſima nota, Albogalerus aut pileus eſt Cæſaris, ob maximi ſacerdotii geſtamen. His omnibus hieroglyphicè ſignificatur, Cæſarem optimum orbis terræ gubernatorem, copia diuitiarum omnium, ac pace victoriis parta, fuiſſe.


2. OCTAV. AVGVSTVS ROM. IMP. II.

OCtauius, C. Octauij Senatoris ex Actia filius, à Cæſare maiore auunculo, adoptatur, cuius necem vindicauit, Brutum & Caſſium cædis authores, in Macedonia vicit. Adacto ſenatu, vi, ante legitimam ætatem, ſe Coſ. fecit: Poſtea cum M. Antonio & Lepido, R. P. C. Triumvir factus; Iſti quaſi illudentes fœdiſſimæ ſeruituti ciuium, horum cruore orbem terrarum contaminauere. Sex. Pompeium in freto Siculo ſuperauit. M. Antonium, amore Cleopatræ deuictum, ad Actium nauali pugna, Anno ab V. C. DCCXXIII. vicit. Reliquam orbis partem per legatos domuit, & pacem reſtituit. Dictator in perpetuum à Senatu factus eſt. Vrbem optimis inſtitutis, & operibus magnificētiſſimis excoluit. Hinc meritò PATER PATRIAE atq; AVGVSTVS dictus eſt. Ianum ter cluſit. Iuuenta eius infamiam ſubiit. Adulteria exercuit, & Luxuriæ erat ſeruiens. Liuiam, Tib. Neronis Claudij Præſidis in Campaniæ quodam oppido, vxorem, quæ iam duos à marito habebat filios, Tiberium ſcilicet poſtea Imperatorem, & Druſum X. & iterum ab eo grauidam, abduxit, conſenſuq; mariti, in matrimonium accepit, dilexitque perſeueranter. Cibi minimi erat & parciſſimus vini. Scripſit etiam & libros. Nepotes ipſemet inſtituit. Tiberium prædictum adoptauit, & hæredem reliquit. Obiit Nolæ, dolo vxoris Liuiæ, an. ab V. C. 766. Ch. 15.

Vixit Annos 75. M. 10. D. 26.
Imperauit cum M. Antonio An. XII.
Sepultus Romæ, in Mauſoleo ſuo, in campo Martio.

Non tantum Diuus, verum etiam Deus appellatus eſt; vt ex numiſmatibus conſtat.

Dictum



Dictum Auguſti, ex Goltzio:

2. Romam lateritiam accepi, marmoream relinquo.

IN hac auerſa parte apparet Templũ Iani gemini ſiue bifrontis, addita hac inſcriptione, in eius periſtilio:

IMP. CÆSAR. & IAN. CLV.

Id eſt: Ianum cluſit. Beroſus refert, Ianum dictum fuiſſe Deum Pacis & Concordiæ, poſtquam Romulus & Tatius pacem inierant, & exinde reconciliationem Romanorum & Sabinorum eius imaginem duabus faciebus depictam fuiſſe. Hoſtius, in ſua Hiſtor. rei nummariæ: lib. 1. cap. 2. Ianum geminum dicit eſſe Noah. Hoc templum, tempore belli aperiebatur, pacis verò claudebatur. Aperiendi autem vel claudendi prima ratio hæc fuit: Romulo contra Sabinos pugnante, cum iam vincerentur Romani, calidam aquam ex eo loco ſcaturiſſe dicunt, quo Sabini fugati ſunt. Hinc mos deductus eſt, vt Templum, in eo loco conſtitutum, pugnaturi aperirent, ad ſpem priſtini auxilij. Hoc templum ter cluſit Auguſtus, tertia vice, eius Imperij anno XLII. Orbis 3963. V. C. 751. pace per totum Orbem confirmata, naſcitur Ieſus Chriſtus Saluator mundi.

Auguſti Numiſmata in magna copia reperiuntur, ex omni genere metallorum.

3. TIBERIVS CÆSAR ROM. IMP. III.

Tiberius Cæſar, Tib. Neron. Claudij & Liuiæ filius. Bello Cãtabrico Tribunus militum. Tigranem Armeniæ regem regno reſtituit; & poſtea Comatam rexit Galliam; ex hinc Rhæticum Vindelicumque bellum; inde Pannonicum & Germanicum geſſit. Defunctis Caio & Lucio Auguſti nepotibus, Liuiæ impulſu magis, quam Auguſti iudicio, ab eo adoptatus eſt. Satis prudens in armis, ſatiſque fortunatus ſub Auguſto. Inerat ei ſcientia literarum, eloquio clarior, ſed ingenio peſſimo, truci, auaro, inſidioſo, ſimulans ea ſe velle quæ nollet. Imperium adeptus, primum ſe ciuilem admodum geſſit. Aduerſus conuicia, maloſque rumores, & famoſa de ſe & ſuis carmina, firmus ac patiens. Senatum uſque ad ſubmiſſionem veneratus eſt. Mox Ludorum ac munerum impenſas corripuit. Capreas in Inſulam Neapolitani ſinus ſecedẽs, Reipublicæ curam abiecit. Armeniam à Parthis occupari, Moeſiam à Dacis, Gallias à Germanis, vaſtari neglexit. Portentoſæ libidinis fuit. Pecuniæ tenax. Odiũ in parentes detexit. Romam petens, Caligulæ nepotis fraude, in Villa Lucilliana obijt. 17. Cal. April. V. C. 789. Chriſti 38.

Vixit Ann. 77. M. 4. D. 1.
Imperauit An. 22. M. 6. D. 26.
Sepultus in Mauſoleo Auguſti.



3. *Boni paſtoris eſt tondere pecus, non deglubere.*

HIc nummus in gratiam Tiberij, anno regni eius 8. Chriſti verò 23.(ut Occo pag.91.ſentit) formatur. Qui Vult eſſe Deam Veſtam, ſubſellio inſidentem. Sed mihi magis placet ſententia Seb. Erizzo pag. 78. qui ſcribit, cum anno Imperij Tiberij 18. Chriſti autem 34.(quo anno paſſus eſt) cuſum fuiſſe. Et citans Suidam, dicit: quarto anno Olimpiadis 210. qui in 18. annum Tiberij incidit, maximum terræ motum in Aſia fuiſſe, quo ciuitates, ædificiaque quamplurima, ſubuerſa ſunt. Quod etiã Plinius lib.2.cap.54. his verbis (& Tacitus lib.2) teſtatur: *Maximus terræ, memoria mortalium, extitit motus, Tiberij Cæſaris principatu.* XII. *Vrbibus Aſiæ una nocte proſtratis.* Suetonius refert, Tiberium adeo pecuniæ parcum & tenacem fuiſſe, ut prouinciis nullam unquam liberalitatem demonſtraret, præterquam ciuitatibus Aſiæ, quas terræ motu ſubuerſas, reſtituit.

Hanc liberalitatem hic nummus, Tiberium ſede Curuli inſidentem ad viuum referens, celebrat, hac inſcriptione:

CIVITATIBVS ASIÆ RESTITVTIS.

Hæc etiam numiſmata Tiberij facilè reperiuntur, ſed pleraque ex Auro & Argento, quibus in parte auerſa, unica forma. Figura eſt ſedens, dextra haſtam, ſiniſtra ramum tenens, inſcriptione tali: PONTIF. MAXIM. *Ex ære autem varia extant.*

4. CAIVS CÆSAR CALIGVLA, ROM. IMP. IV.

CAius Cæſ. Caligulæ cognomento, Germanici & Agrippinæ filius. In auum Tiberium tanti fuit obſequij, vt de ipſo hoc fuerit peruulgatum; Nec ſeruum meliorem vllum, nec dominum fuiſſe deteriorem. Populo Rom. ob patris memoriam magis commendatus quàm ingenio ſuo Imperium adeptus eſt. Initio principem egit, mox monſtrum & facem humani generis. In tantam ſuperbiam lapſus eſt, vt ſe adorari & vocari Latialem Iouem, & Deum paſſus ſit, propria ſibi Sacerdotia cōſtituens. Sæpè Iuno, Diana, Venusque fiebat, mutato cum nomine etiam habitu. Tum in propinquos, in auiã, proauiam, omnem ſæuitiam exercuit. Tres ſuas ſorores ſtupro maculauit. In Palatio matronas nobiles publicæ libidini ſubiecit, ibique lupanar conſtituit. Senatores multos interfecit. Doluit R. Populo non vnam eſſe ceruicem, vt vno ictu facilius abſcindi poſſet. Vicies ſepties millies ſeſtertium coëgiſſe Tiberius dicitur (ſunt 66. milliones Coronatorum) quæ omnia Caius vno triennio abſumpſit. Tandem per Chæream Caſſium Tribunum, & Cornelium Sabinum xxx. vulneribus eſt confectus. 9. Cal. Febru. ab V. C. 793. Ch. 42.

Vixit Annos 28. M. 4. D. 25.

Imperauit An. 3. M. 3. D. 9.

Funeratus, primò in hortis Lamianis Romæ, mox in Cæſarum Mauſoleo.

Nihil



Nihil magis in natura mea probo, quam inuerecundiam.

IN hac auerſa parte, videntur tres figuræ, Dearum habitu, quæ ſunt III. ſorores Caij Caligulæ: vt habet inſcriptio.

AGRIPPINA, DRVSILLA, IVLIA.

Agrippina (mater Neronis) in forma Deæ Conſtantiæ dextra columnæ innixa; Druſilla, formâ Concordiæ: & Iulia Deæ Fortunæ, dextra gubernaculum: & omnes cum Cornucopia. Has tres conſtuprauit Caius, & pleno conuiuio infra ſe viciſſim collocabat. Druſilla Mar. Lepido nupta eſt, nihilominus cum ea rem habere frater perrexit. Vbi eſſet defuncta publicam ei ſepulturam tribuit, quam Prætoriani milites, Equeſter ordo, Patricij pueri, Trojæ decurſione, circum (de quo, ſub nummo 16.) tumulumq́ue obequitârunt. Nec vnquam poſtea, niſi per nomen Druſillæ deiurauit. Decreuit vt immortalis haberetur, in curia effigies eius aurea poneretur, peculiare fanum ei ædificaretur, & vt Dea veneraretur. De Caligula vide plura apud Suet. cap. 24. Ioſeph. lib. 19. cap. 2. Plin. lib. 37. cap. 2. Dion. li. 59. Tac. lib 6. cap. 4. & alios.


Caligulæ Numiſmata, ex Æ. multa reperiuntur, ſed ex argento rara & percara ſunt.

5. CLAVDIVS CÆS. AVG. ROM. IMP. V.

Claudius Tiberius Druſus, ex Druſo x. & Antonia Minore natus eſt. Vniuerſam fere adoleſceatiam morbis afflictam habuit: ita ut animo ſimul & corpore eſſet hebetiori. Liberalibus artibus haud mediocrem operam dedit. Hiſtoriarum libros XLI. conſcripſit. Caio occiſo, Imperator anno ætatis 50. creatus eſt. In cunctis ciuilem ſe geſſit. Expeditionem unam omnino in Britanniam ſuſcepit, unde, poſt 6. menſes, triumphum egit pretioſiſſimum. Curam Vrbis maximam habuit; Senatum ſuppleuit: operaq; publica multa & magna extruxit. Aquam Claudiam demum poſt XI. annos, quamuis triginta hominum millibus ſine intermiſſione operantibus, Romam introduxit. Portum Oſtiæ exſtruxit. Spectacula magnifica edidit. Ludos Seculares fecit. Plurium indulgentiſſimus ac liberaliſſimus princeps: Sed libertorum & coniugis imperijs ſubiectus fuit.

Ingens fames, ſub Claudio, in Europa & Aſia exſtitit. Iudæos Roma expulit. Meſſalinam vxorem, portētoſæ libidinis foeminam, interfici iuſſit; & Agrippinam Germanici fratris filiam, Caligulæ ſororem & Neronis matrem, in vxorem duxit. Vir natura ſæuus & ſanguinarius, alioquin timidus, profuſiſſimæ in foeminas libidinis, aleæ ſtudioſus, interdum inconſultus. Neronem priuignum filio Britannico antepoſuit: cuius & Agrippinæ inſidiis veneno in boleto dato ſenex periit. 3. id. Octob. An. ab. V. C. 806. Ch. 55.

Vixit Annos 63. M. 2. D. 13.
Imperauit An. 13. M 8. D.
Sepultus in Mauſoleo Aug:
In numerum Deorum à Nerone relatus eſt.



5. Non eodem modo à publice & fera belua caueri oportet.

AVerſa pars Claudij nummi exhibet Caſtra prætoria cùm milite prætoriano & ſigno militari, hac inſcriptione adiunćta:

IMPER. RECEPT.

Hoc eſt: Imperio recepto: Claudius verò inter cæteros ab inſidiatoribus Caligulæ excluſus fuit, & ſibi metuens (quod cum Caio ageret) in obſcuro angulo ſe occultauit, ubi à milite repertus, qui exiſtimabat alium quendam eſſe, extrahitur. Mox cognitum Imperatorem ſalutauit, & à militibus in Caſtra delatus, omnium conſenſu, cum promiſiſſet ſingulis quaterna dena ſeſterciorum (ſunt 350. coron.) Imperator confirmatur. Signum militare hîc delineatum, habens in ſummo Aquilam, fuit ex præcipuis ſignis Çohortium. Sola Aquila, Plinio teſte, Legionibus erat cõſecrata. Conſtabat ex argento quò magis eſſet conſpicua. Solebant ſigna militaria in Caſtris figi, tanquam loco proprio, indeque vellebantur, ſed ritè prius captato augurio, cum in prœlium erat exeundum. Si ſpontè ſequebantur, benè rem geſtam iri perſuaſum erat; ſin vi auellenda eſſent, ſecus. De ſignis militaribus plura vide ſub num. 28. Caſtra prætoria deſcripſimus ſub num. 59.

Huius Imp. nummi ex argento maximo ſunt in precio, ex ære diuerſi extant.

6. NERO

6. NERO CLAVDIVS CÆS. ROM. IMP. VI.

DOm. Nero, ſextus Romanorum Imper. Cn. Domitij Neronis & Agrippinæ filius, à Claudio adoptatur & An. Senecæ, quem poſtea ad necem compulit, in diſciplinam traditur. Mortuo Claudio Imperator factus eſt; & primo quinquennio ita ſe geſſit, vt omnes Principes liberalitate, clementia, comitate & beneuolētia antecelleret. Deinde autem Caligulam malis moribus ac crudelitate longè ſuperauit. Ianum bis clauſit. Conſulatus quater geſſit. Pontum in prouinciæ formā redegit. Chriſtianos primus ſuppliciis afflixit. Reliquum vitæ eo cum dedecore egit, vt pudeat memorare. Petulantiam, libidinem, luxuriam, auaritiam, & crudelitatem exercuit, magicæ arti deditus fuit. Inter cœtus ganeorum atque ſcortorum nudus ſaltabat. Pueris abuſus & nuptis. Rubriæ virgini Veſtali vim intulit. Et in tantùm libidini addictus erat, vt Sporum puerum exſecari iuſſerit, cumque ornamentis mulierum indutum in vxorem duxerit. Agrippinam matrem inceſtauit, poſteaque interemit. Britannicum fratrem, veneno ſuſtulit. Vrbem ipſam incendit. In Amphitheatrum aqua deducta, bellum nauale confecit, & publicè in medio aquæ ſumptuoſam cœnam dedit, & permiſit cuique ea, quam cuperet, palam potiri; negare licebat nemini. Quibus ex cauſis multi homines mortui, multæ mulieres & virgines etiam nobiliſſ. raptæ, multæ ſuffocatæ ſunt. Tandem Galba ab ipſo deficiente, ſeipſum occidit, 4. Idib. Iunij an. V.C. 820. Ch.. 69.

Vixit Annos 31. M.5. D.26.
Imperauit, An.13. M.7. D.28.
Sepultus in monumentis auitis Domitiorum.

In eo Cæſarum progenies defecit.

Priamus



Priamus mirus in modum beatus fuit, quod patriam ſimul cum regno perditam vidit.

6. NVmiſma hoc, denotans raptum Sabinarum virginum factum à Romanis tempore Romuli, habensq; in medio tres obeliſcos; à Nerone Cæſare haud dubiè pro memoria reſtitutum fuit; Inſcriptione

SABINÆ.

De raptu, vide Tit. Liu. Iuſtinum, Plutarchum in vita Romuli & alios. Quarto vrbis conditæ anno, Romulus, Neptuno Equeſtri ſolemnes ludos Conſuales in Circo parat; multi mortales conuenêre, ſtudio etiam videndæ nouæ Vrbis. Sabinorum omnis multitudo, cum coniugibus & liberis venit, mirantur tam breui rem Romanam creuiſſe. Vbi autem ſpectaculi tempus adeſt, ſigno dato, Iuuentus Romana ad capiēdas virgines diſcurrit: magna pars raptæ, domos deferebant, &c. Inde bellum primum Sabinum exortum eſſe, omnes fere ſcriptores tradunt. Vide etiam nummos Tituriæ, in Ful. Vrſino, Famiiliarum Rom.

Hi nummi, ex omni metallo facile reperiuntur, illi verò qui rariores habent partes auerſas (vt & reliqui omnes Imperatorum Nummi) cariſſimi ſunt: adeo vt vnus ex ære 30. 50. & 60. aureis, interdum æſtimetur.

7. SER-

7. SERGIVS GALBA VII. ROM. IMP.

SErgius Galba, Sergij Sulp. Galbæ & Mummiæ Achaiæ filius. In adoleſcentia liberalibus diſciplinis & Iuri operam dedit. Honoribus ante legitimum tempus perfunctus eſt. Prætor, ludos Florales & elephantos funambulos edidit. Aquitaniæ præfuit Mox Coſ. geſſit. Durus & ſeuerus in re militari, vt communi prouerbio diceretur:


Diſcite milites militare, Galba eſt non Getulus.

In Africa biennio proconſulem egit. Ornamenta triumphalia accepit. Sacerdotium triplex inter xv. viros obtinuit. Taraconenſem Hiſpaniam per 8. annos cum acerbitate rexit. Homo cibo, potu, & libidine luxurioſiſſimus fuit, auarus, manibus, pedibusque articulari morbo diſtortiſſimus. Vt Neronem occiſum cognouit, Cæſaris nomen ſuſcepit, & in Vrbem venit; ſed maiore fauore & authoritate adeptus eſt imperiũ, quam geſſit. Milites exacerbauit, Prætorem, prætorianosq́; ad indignationem commouit. Nam cum in verba eius abſentis iurantibus donatiuum grandius ſolito, præpoſiti pronunciaſſent: rem ratam non habuit, & ſubindè iactauit:

Se legere militem, non emere.

Quapropter Imperatorem in Hiſpania factum, palàm diſplicere conclamabant. Ipſe autem Piſonem nobil. iuuenem adoptauit. Sed conſpiratione facta in foro Rom. ab Othonianis, iugulatus eſt, caputque ad Othonem delatum. 17. Cal. Februa. an. V.C.821. Ch. 70.

Vixit Annos 73 D. 24.
Imperauit Men. 7. D. 7.
Truncus Sepultus in via Aurelia, in hortis priuatis.



7. Mos fuit deligere, non emere milites.

IN hac Numiſmatis Galbæ auerſa parte Hiſpaniæ imaginem, quæ eſt mulieris galeatæ & armatæ, expreſſam videmus, dextra ſpicas, ſiniſtra clypeum & iacula tenentem, cum hac inſcriptione:

HISPANIA.

Huic prouinciæ Galba magna ſeueritate præfuit, & quoſdam ibidem interpoſita fide interemit, quapropter Romæ increpatus vix vita euaſit. Quod autem hæc figura ſpicas tenet, indicat: Hiſpaniæ prouinciam fertiliſſimam eſſe, frumenti, vini, olei, auri, gemmarum & metallorum. Et tunc temporis (vt refert Anton. Auguſt.) Hiſpania non minori commodo erat Italiæ, quam nunc Indiæ ſunt Hiſpaniæ. Capite verò galeato, clypeo ſiue Pelta, & iaculis, (quæ ſiniſtra gerit,) deſignatur bellicoſiſſimus huius populi animus. Teſtatur Liuius, quod hæc prouincia Romanis ad eam obtinendam, multò pluris laboris, periculi & incommodi conſtiterit, quam vlla alia inde à ſecundo bello Punico ad Cæſarem Aug. Hæc iacula erant propriè arma Hiſpanorũ, quibus (teſtante eodẽ D. Auguſt.) adhuc hodierno die vtuntur. Cõſpiciuntur etiam in Nummo Cæſaris à Goltzio edito, cum trophæo ex victoria in Hiſpania reportata.

Numiſmata Galbæ, facilè reperiuntur.

8. M. SIL. OTHO VIII. ROM. IMP.

M. Siluius Otho, L. Siluij Othonis ex Alba Terentia filius. A prima adoleſcētia prodigus ac procax, apud Neronem, ob congruentiā morum, facilè inter amicos ſummum locum tenuit. Nero Sabinam nobilem fœminam à viro abductam, Othoni vxorem dedit, cum qua vterque pariter rem habebat. Cum autem Nero eam ſibi ſeruare vellet, Otho in Luſithaniam legatus miſſus, prouinciam decem annis, ſumma moderatione adminiſtrauit. Deficiente à Nerone Galba, primus ex ducibus ad Galbæ partes acceſſit, & ſpem Imperij cepit, foreq; vt à Galba adoptaretur. Sed poſtea Piſone prælato, ad vim conuerſus, conſpirationem iniit, & Galbam & Piſonem trucidari iuſſit. In palatio per quietem pauefactus, repertus eſt ante lectū iacens, à quo per Galbam expelli ſe viderat. Animoſ militum omni beneficio adeo ſibi deuinciebat, vt omnes ipſum Imperio dignum iudicarēt. Interim exercitus Germanicus Vitellium Imperatorē eligit, à quo apud Bebryacum inter Veronâm & Cremonam Otho ſuperatus eſt; Attamen militum eius incredibilis fuit fides. Omnes ad fores eius ſe contulerunt; ex quibus vnus gladium intendens, ſic eum affatus eſt: Scias, Cæſar, hoc modo omnes pro te paratos: quæ prolocutus, ſeipſum tranſegit. Ad id, Otho ſereno vultu; ô commilitones, mori mihi eſt honeſtius quàm imperare; ad Victorem abite, eumq́ue colite: his Senatores & amicos diſcedere iuſſit. Poſt arripuit duos pugiones, & explorata vtriuſque acie, cum alterum puluino ſubdidiſſet, foribus adopertis, arctiſſimo ſomno quieuit. Circa lucem vno ictu ſe exanimauit. 12. Cal. Maij. V.C. 821. Ch. 70. Multi milites, non procul à rogo ſibi ipſi vim intulerunt.

Vixit Annos 36. M. 11. D. 24.
Imperauit Menſ. 3. D 5.
Sepultus apud Veliternam.

Multo



8. Multo melius, iuſtiusq́; eſt, vnum pro multis, quam pro vno multos, interire.

IN hac poſteriore parte numiſmatis Othonis Imp. conſpicitur Dea Securitas ſtolata & cincta, dextra ſertum, ſiniſtra haſtam puram tenens, cum inſcriptione:

SECVRITAS P. R.

Secur. populi Romani. Cum hic Otho valde eſſet meticuloſus, videtur S. populumq́ue R. ei hac parte auerſa innuere voluiſſe, ſecuritatem populi Romani in hac Dea conſtare, & quod illa ſertum ſiue lauream, & ſub ea dignitatem Imperij ei offerret, cum hæc eſſet geſtamen proprium Auguſtorum: quo ſecuriùs omnia ageret.

Cum Otho Cæſar per trimeſtre tantum imperauerit, pauci ſub eo nummi cuſi ſunt, quod etiam ipſa res confirmat, cum rarò admodum ſeculo noſtro reperiantur. Sebaſt. Erizzo Antiquarius accuratus ſcribit, ſe vnum tantum ex ære vidiſſe, cum iſta inſcriptione: IMP. M. OTHO CAESAR AVG. *& ab auerſa parte S. C. in corona ciuica. Sambucus extremo lib. Emblem. exhibet formam nummi Othonis, quem ſe ex ære habere dicit, cuius pars auerſa plane cum hac noſtra conuenit, niſi quod ſit imperfectior. Æſtimaretur nummus æreus elegans Othonis authẽticus aliquot centum, imò mille aureis. Argentei facilius reperiuntur. In aureis verò vnicam formam iſtius noſtræ auerſæ partis appoſitæ vidi.*

9. AVL. VITELLIVS IX. ROM. IMP.

AVl. Vitellius, ex L. Vitellio & Sextilio prognatus, primam ætatem apud Tiberiana ſcorta in Inſ. Caprea egit, & Spintria, id eſt, inuentor monſtruoſæ libidinis cognominatus eſt. Hinc Caio per aurigandi, Claudio per aleæ ſtudium, Neroni per citharædorum certamina familiaris factus, horum fauore honoribus, etiam ſacerdotii, eſt auctus.

Proconſulatum Africæ poſthæc, curã quoq; operum publicorũ adminiſtrauit, ſed ornamẽta templorũ ſurripuiſſe ferebatur.

A Galba in inferiorem Germaniam miſſus, caſtra ingreſſus, ſupra modum facilem omnibus ſe exhibuit: vnde vix menſe tranſacto, à militibus Imperator eſt ſalutatus. Cæſaris nomen in perpetuum recuſauit. In Vrbem reuerſus, magis ac magis omni diuino humanoque iure neglecto, hiſtrionum & aurigarum conſilio Imperium adminiſtrauit, præcipuè luxuriæ & ſæuitiæ deditus; tamque erat ſordidæ gulæ, vt vna cœna iuſſu eius duo millia piſcium, & ſeptem millia auium appoſita ſint. Patinam vnam apparauit, in quam impendit decies ſeſtertium, ſiue 25000. Coron. Pronus erat ad necem, nobiliores conſodales ſuos in ſocietatem Imperij vocatos, occidit. Mathematicos omnes tota Italia ſubmouit. Veſpaſiani fratrem Sabinum necari iuſſit: quod periculum euaſit Domitianus. Pannonico, Mœſiaco, Iudaico & Syriaco exercitu ab ipſo deficiente, Veſpaſianus à militibus Imperator declaratur. Vitellius tum, L. Vitellium fratrem cum exercitu contra hoſtes miſit: ſed apud Cremonam ſuperatus eſt. Ipſe Romam in cellulam ianitoris palatij confugit, vnde à militibus extractus, iniecto ceruici eius laqueo, ſeminudus in forum protractus, apud Gemonias excarnifactus, vnco in Tiberim tractus eſt 9. Cal Ianuar. V.C. 822. Ch. 71.

Vixit Annos 54. M. 4.

Imperauit Menſ. 8. D. 5.

In Tiberim proiectus, poſtea à Galeria vxore ſepultus.

Ipſius numiſmata genuina ex ære rariſſima & cara ſunt, ex argento facilius inueniuntur.

9. *Optime*



9. *Optime olet occiſus hoſtis, ſed melius ciuis.*

PArs poſterior numiſmatis Imp. Vitellij, exhibet liberos eius, cum hac inſcriptione:

LIBERI IMP. GERMAN.


Hic nummus in honorem Imperatoris Vitellij & liberorum eius percuſſus eſt. Nam ex ſecunda vxore Galeria Fundana, Prætoris filia, liberos vtriuſque ſexus, (teſte Suetonio) ſuſtulit. Sed marem titubantia oris propè mutum, & elinguem, qui poſtea cum patre periit. Vitellius hic in aduerſa & auerſa parte Germanicus dicitur, quod cognomen ſibi, ſimul ac Imperium eſſet adeptus, tribui voluit. Et additæ ſunt hæ literæ, P. M. quæ deſignant fuiſſe Pontificem Max. De conſecratione Pontificis Max. digna eſt Prudentij deſcriptio, quæ hic ſummatim referatur. Cum conſecrandus erat Pont. Max. deſcendebat in foueam ad eam rem excauatam, omni inſtructus pontificali ſuo apparatu. Poſtquam eſſet ingreſſus, ſtatim ponticulus ligneus, vndiquaque perforatus foueæ inſternabatur. Tum taurus, fronte deaurata & cornibus ſertis ac floribus ornatiſſimus, adducebatur ac in medio ponticulo à victimariis mactabatur. Cruor per foramina ſtillans, Pontificem ac omnes eius veſtes precioſas irrigabat. Sic conſpurcatum, Flamines ponte ſublato educunt & omnes Pontificem Maximum ſalutant. Erant pleriq; huius ordinis Senatores, nonnulli Impp. vt de Cæſare, Auguſto, & aliis plurimis manifeſtum eſt.

10. FLAVIVS VESPASIANVS X. IMP. ROM.

VEſpaſianus, Fl. Sabini & Pollæ filius, Tribunatum militum in Thracia meruit. Quæſtor Cretam, & Cyrenas prouinciã ſorte cepit. Sub Caligula pro ſua victoria Germanica ludos edidit. Claudio principe legatus legionis in Germaniam miſſus eſt. Inde in Britanniam tranſlatus tricies cum hoſte conflixit. Inſulam (nunc Wich) Vectém, Britanniæ proximam, in deditionem redegit. Quare ornamenta triumphalia, duplex ſacerdotium, etiam conſulatum & proconſulatum accepit. Africam adminiſtrauit. Dehinc cum Iudæi arma contra Romanos caperent, prouincia illa ei quaſi duci ſtrenuo oblata eſt, & ciuitates in ſe conuertit. Moeſiaci cum primo, mox Ægyptij, deinde Iudaici exercitus, Imperatorem elegerunt. Vitellio occiſo, in Vrbem cum filio, de Iudæis triumphans, reuerſus eſt. Per totum Imperij tempus nihil habuit antiquius, quam propè afflictam Rempub. ſtabilire primò, deinde Vrbem nouis ædificiis reparare. Templum pacis ædificauit. Capitolium incẽſum redintegrauit. Condidit & amphitheatrum media Vrbe. Libidinem & luxuriam coercuit. Cæteris in rebus, ſtatim ab initio principatus vſque ad exitum, ciuilis & clemens Sola eſt in qua meritò culpetur, pecuniæ cupiditas. Prima quoque morbi acceſſione inquit, vt puto DEVS FIO. Profluuio autem ventris extinctus eſt. 8 Cal. Iulij. ab V. C. 831. Ch. 80.

Vixit Annos 69. M. 7 D. 7.
Imperauit An. 9. M. 11. D. 24.
Sepultus......
Inter Diuos relatus.

Veſpaſiani nummi ex omni metallo facilè reperiuntur.



10. *Lucri bonus odor ex re qualibet.*

ADmirabilis Amphitheatri moles, quod vulgo Colliſſæum vocatur, in hac auerſa parte conſpicitur, abſque vlla deſcriptione. Cœptum eſt à Veſpaſiano Imperatore, & abſolutum à Tito eius filio, triginta millibus ſeruorum in eo laborantibus, ſpacio vndecim annorum In eius arena exhibebantur quotannis ludi, aliter atq; aliter exornati: Interdum in modum ſyluæ, vt venationis viua imago demonſtraretur: Vno die centum feræ Lybicæ & 100. vrſi in ea confecti leguntur. Interdum exhibebantur in modum maris, vbi Naualis pugna, claſſes & monſtra maris oſtendebantur. Formâ erat oblongâ. & 87. millium hominū capax, qui commode in gradibus & ſubſelliis ſedere & ſpectare poterant. Arenam interiorē egomet modulatus ſum, & in longitudine 250. in latitudine autē 150. pedes habere inueni.

Martialis de eo:

Omnis Cæſareo cedat labor Amphitheatro:
Vnum præ cunctis fama loquatur opus.

Conſpicitur hic ad dextram Meta, ſudans dicta, quod ibi manarent aquæ, ex quibus bibebat populus, qui in Amphith. ad publica ſpectacula conueniebat. Ad ſiniſtram autem Septizoni figura. Quod ædificium poſtea à Sept. Seuero in tantam altitudinem erectum fuit, vt nullum Romæ altius eſſet, & nauigātes ex Africa in Italiam illud è mari ſpectare poſſent.

11. TITVS VESPAS. XI. ROM. IMP.


Titus Veſpaſianus, ex patre Veſpaſiano & matre Domitilla natus, educatus eſt in aula cum Britannico, Claudij filio, ac paribus diſciplinis. Armorum & equitandi peritiſſimus; Latinæ, Græcæque linguæ, in orando promptus, ſcribendo notis omnes præcelluit, nec Muſicæ rudis fuit.

Tribunus militum & in Germania & in Britannia (vbi patrem Veſpaſianum à Barbaris circumdatum in extremo periculo eripuit) militauit adeò ſtrenuè, vt ſtatuis donaretur. A patre in Iudæa relictus, Hieroſolymam cepit. Deinde Romam reuerſus, particeps Imperij factus, cum patre de Iudæis triumphauit. Præter ſæuitiam, ſuſpecta in eo etiam erat luxuria. Berenicis reginæ adeo captus amore, vt ferretur ei nuptias pollicitus. Sed patre mortuo, patriæ curam ſuſcepit. Liberalis ſemper exſtitit. Sub eo, conflagratio Veſuuij montis accidit, vbi periit C. Plinius.

Incendium Romæ per triduum fuit. Exceſſit febre, vel vt alij volunt, veneno à fratre Domitiano parato, Id. Sept. ab V.C. 834. Ch. 82.

Vixit An. 40. M. 8. D. 15.
Imperauit An. 2. M 2. D. 20.
Sepultus Romæ, Inter Diuos relatus.

Titi numiſmata nonnulli reperiuntur, ex argento autem difficilius.



11. *Non oportet quemquam à conſpectu principis triſtem diſcedere.*

HIc nummus Titi Imper. ex metallo pulcherrimo & formâ grandiuſcula, præſefert palmam, cum duabus figuris humi ſedentibus, hâc inſcriptione:

IVD. CAP. S. C.

Hoc eſt: Iudæa capta. Ex illis duabus figuris ſedentibus ad palmam, vna eſt mulieris plangentis, qua Iudæa prouincia repræſentatur; altera autem, militis ſtantis inter ſpolia, manibus poſt tergum reuinctis, Iudæus captus eſt. Ex his & ex inſcriptione apparet formatum fuiſſe hunc nummum eo tempore quo Titus à patre, qui ad Vrbem contendebat, ad perdomandum Iudæam relictus, Hieroſolymam expugnauit. In qua obſidione tanta cædes Iudæorum facta eſt, vt numerus eorum qui perierunt, vndecies centena millia excederet. Captiuorum 97. millia fuêre. Lege Ioſephum de bello Iud. lib. 6. cap. 45.

Literæ S. C. ſunt Senatus Conſulto, & indicant, hoc numiſma Romæ formatum fuiſſe. Vult Erizzo illa ex ære, quæ has literas non habent, extra Vrbem cuſa fuiſſe. Conſtat hic typus ex auro, argento & ære.

12. DOMITIANVS XII. ROM. IMP.

DOmitianus, Veſpaſiani & Domitillæ filius, primæ adoleſcẽtiæ tempus, magna infamia geſſiſſe fertur. Triumphū patris & fratris Iudaicum, equo albo comitatus eſt. Inter ſex Conſulatus, non niſi vnum ordinarium geſſit. Simulauit mirè modeſtiam. Patre defuncto, nunquam iactare dubitauit, relictum ſe participem Imperij, ſed fraudem teſtamento adhibitam. Neque ceſſauit ex eo fratri clam palamque inſidias ſtruere: quo mortuo, defunctum nullo, præterquam Conſecrationis honore dignatus eſt. Inter initia principatus aliquandiu ſe variū præſtitit, mixtura inæquali vitiorum atque virtutum, donec inopia rapax, metu ſæuus factus eſt. Quotidie ſibi horarium, ad captandas muſcas ſumpſit, vnde interroganti eſſet ne quis cum Cæſare? Prouerbio reſponſum;

Ne muſca quidem.

Spectacula magnifica edidit. Seculares ludos fecit, quibus præſedit Deorum habitu veſtitus, ac more Caligulæ, Dominum ſeſe Deumque dici coëgit, & epiſtolas à ſuo nomine ſic incipere iuſſit:

Dominus & Deus noſter ſic fieri iubet.

Multa ædificia publica & ampliſſima opera reſtituit, in quibus & Capitolium. Expeditiones in Cattos, Sarmatas & Dacos ſuſcepit. Crudelitatem exercuit. Infandæ libidinis. Cunctis igitur terribilis & inuiſus, amicorum libertorumque conſpiratione, ſimul & vxoris, in cubiculo ſuo occiſus eſt 24. Cal. Octob. ab V.C. 849. Ch. 97.

Vixit Annos 44. M. 10. D. 26.
Imperauit An. 15. M. 0. D. 6.
Funeratus in via latina.

Domitiani nummi abunde extant.



12. *Paucis notum eſt, quam miſera ſit Principum conditio.*

AVerſa pars Domitiani nummi, præſefert Iouem Capitolinũ, dextra tenentem fulmen, ſiniſtram vero in ſublime protendentem, hâc inſcriptione:

IOVI CONSERVAT.

Hunc nummum in memoriam periculi, quod tempore Vitelli Imp. effugerat, cudendum curauit. Nam bello Vitelliano, in Capitolium cum patruo Sabino cõuenit, irrumpentibusq; aduerſariis, & ardente templo, apud ædituum clam pernoctans, & ſolertia liberti, lineo amictu turbæ ſacricolarũ immiſtus ſeruatus eſt. Inde (patre etiam tum rerum potiente) deiecto æditui contubernio, modicum ſacellum IOVI CONSERVATORI, aramque poſuit, caſumque in marmore expreſſit.

Mox Imperium adeptus Ioui Cuſtodi templum ingens, ſeq; in ſinum Dei ſacrauit. Vide Tacit lib. 8. Quod autem hic ſit Iupiter Capitolinus teſtatur Minutius Felix; Iupiter (inquit) cum Capitolinus dicitur, gerit fulmina: & cum Latiaris, cruore perfunditur. De Ioue pluribus egimus ſub num. 57. D. Auguſtin. lib. de Ciuit. Dei, ait: Ante ſtatuam Iouis haberi ſolitam fuiſſe tabulam auream epulis & obſoniis refertam; ſemperq; manducatorum & ſorbillatorum multitudine circumdatam.

13. NERVA CÆS. XIII. ROM. IMP.

NErua Cocceius, iam ſenex Anno Ch.97. opera Parthenij interfectoris Domitiani, Imperator eligitur, clariſſimis ortus natalibus, oppido Narnienſi. Vir optimus, omniumque laude digniſſimus. Initio principatus, beneficentiæ, clementiæ, & liberalitatis ſigna exhibuit. Reos maieſtatis abſoluit, exules in patriam reuocauit: annuos Iudæorum cenſus diminuit, ac capitali pœna interdixit, ne quis Chriſtianos, aut Iudæos, in poſterum accuſaret, læderetve. Domitiani imagines, & clypeos publicè detrahi, nomina & titulos eradi curauit. Ciuibus egenis, vt vitam ſuſtentarent, decies & quinquagies centena millia nummûm erogauit. Senatores delegit, qui agros emerent, & egentibus diuiderent. Puellas, puerosque pauperibus parentibus ſumptu publico ali iuſſit. Ciuitates affectas releuauit. His exhauſtus ſumptibus, veſtes, vaſa aurea, argentea & ſupellectilem, vt amicos iuuaret, vendidit. Vtque impendia leuaret, ſpectaculorum & ludorum genera ſuſtulit. Principes viros conſiliis ſuis ſemper adhibuit. Dignos potiſſimum ad honores euexit. M. Vlpium Traianum Hiſpanum peregrinum (etſi multos haberet propinquos) propter ſingulares eius virtutes, in filium adoptauit, & Cæſarem deſignauit. Ad eumque Imperij iura, & inſignia cum in Germaniam vſque tranſmiſiſſet, omniaque in ordinem redegiſſet, febre correptus, moritur 6. Cal. Febru. ab V. C. 850. Ch. 98.

Vixit Annos 65. M. 10. Dies 10.
Imperauit An. 1. M. 4. D. 9.
Funeratus à Senatu ad Auguſti ſepulchrum.
Hucuſque Roma Imperatores dedit.

13. *Nihil*



13. *Nihil me fuiſſe ſcio, quo minus poſſem, depoſito Imperio, priuatus tutò viuere.*

IN hac auerſa parte, conſpiciuntur duæ mulæ paſcentes, & curruculus ſiue vehiculum cum temone ad alligandum iugum, hac inſcriptione:

VEHICVLATIONE ITALIÆ REMISSA.

Ex hoc nummo, vt & plurimis aliis, neceſſitas pariter ac vtilitas numiſmatum intelligi poteſt. Nam quod ab omnibus hiſtoriographis omiſſum fuit, nullaque ratione ad noſtram memoriam peruenire potuiſſet, hæc auerſa pars nobis exhibet; nimirũ, Imp. Neruam vehiculationem ſiue equos vectarios, per totam Italiam remiſiſſe. Hæc vehicula & equi vectarij certis in locis diſpoſiti, ſemper ad mandatum Principis, operis coactis, parati eſſe debebant, quod maximè pro populo erat ſubiecto. Cum autem hic liberalis Cæſar hoc onus remiſiſſet, populus in memoriam tanti beneficij, & honorem eius, hunc nummum cudi curauit.

Huius Imp. nummi rari & cari ſunt.

14. TRAIANVS XIIII. ROM. IMP.

TRaianus Vlpius, Optimus omnium Princeps externorum, natione Hiſpanus, vrbe Tubertina oriũdus, adoptione Neruæ voluntateque S.P.Q.R. imperium meruit, An.Ch.98.

Probitate tantum Imperium Romanum ampliauit, quantũ vnquam alius. Germaniam cis Rhenum, Daciam, genteſq; vltra Danubium alias, ditioni Romanæ ſubiecit. Parthos coercuit. Albaniam ſuperauit. Qui Euphratem ac Tigrim accolũt, Prouinciales Imperij Rom. fecit. Profectus etiam ad Indiæ fines, ac Mare Rubrum, tanta in hoſtes benignitate vſus eſt, vt ſæpenumero amore potius quam vi, ſeſe ſubactos dediderint. Romam ingreſſus, apud populum mitis, apud Senatum venerandus, omnibus deniq; amabilis eſt habitus, grauis nulli. In pauperum alimenta multa largitus eſt, ſtudioſos & bonos viros honoribus & dignitate auxit. Plutarcho Hiſtorico & Philoſopho vſus eſt præceptore. Senatum patrem ſuum, ſeque viciſſim eius filium appellabat. Eius inſtinctu in Chriſtianos perſecutionem inſtituit, timens ne eorum multitudo vim imperio faceret. De multitudine interemptorum Plinij ſecundi literis cum factus eſſet certior, edictum promulgauit, ne Chriſtiani propter fidem aliquid amplius paterentur. Spectacula magnifica edidit centum viginti cõtinuis diebus. Circum reſtituit. Bibliothecas ornauit. Poſt in Armeniam expeditionem ſuſcepit. Reges multos paruo negocio ſubegit. Babylonem vſque penetrauit. Arabiam petiit. Apud Selemuntem Ciliciæ vrbem, quæ & Traianopolis poſt dicta, periit 3. id. Aug. V.C.870. Ch.118.

Vixit Annos 63. M.9. D.4.

Imperauit An.19. M.6. D.15.

Cineres Romam relati vrna aurea ſuper ipſius Columnam collocata ſunt, & inter Diuos relatus eſt.



14. *Talis priuatis ſit Imperator, quales ſibi priuatos optat habere.*

HIc pons pulcherrimus exhibetur, cum hac inſcriptione:

S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI. S. C.

Id eſt: Senatus populusq; Romanus optimo Principi Traiano hunc nummum cudi curauit, in memoriam mirabilis pontis, quẽ Danubio ſuperſtruxerat, cuius veſtigia, prope Zeuerinum in Bulgaria etiamnum extant. vnde Dio: *Interim Traianus põtem lapideum in Danubio faciendum curauit, qui omnia eius alia opera magnifica, longe antecellit. Eius pontis* 20. *ſtant ex quadrato lapide pilæ, quarum altitudo* 150. *pedum, præter fundamenta habetur, latitudo* 60. *pedes continet, diſtant inter ſe* 170. *pedibus, fornicibus verò coniunguntur.* Vnde colligere eſt, põtem in longitudine 4600. pedes habuiſſe. Impenſa profectò ingens, & vix credibilis. Marmor antiquum in Dacia ſic eam celebrat.

PROVIDENTIA AVG. VERE PONTIFICIS, VIRTVS ROMANA QVID NON DOMET? SVB IVGVM ECCE RAPITVR ET DANVBIVS.

Procopius lib. 4. ſcribit: Traianum ex vtraque parte ripæ duo caſtella ædificaſſe, vnum ex parte Daciæ, Pontem dictum, alterum ad ripam Myſiæ, Theodara appellatum, hoc Iuſtinianus Imp. poſtea reſtaurauit.

Numiſmata huius Imp. reperiuntur, ſed ex argento difficilius.

15. ÆLIVS HADRIANVS XV. ROM. IMP.

PVblius Ælius Hadrianus, ex Ælio Hadriano patre Aphro cõſobrino Traiani, & Domitia Paulina matre, natus, factione Plotinæ, quæ eius amore flagrabat, Imperator factus: primus Cæſarum barbam nutrire cœpit. Initio Imperij omnem operam dedit, vt pacem toto orbe componeret. Armorum & rei militaris peritiſſimus, tantas copias habuit, quantas Imperatorum ferè nullus. Adeo cupidus peregrinationis, vt omnia quæ de locis orbis legerat, præſens vellet addiſcere. Literarum in vtraque lingua peritiſſimus, Mathematicus inſignis, Aſtrologus, & Geometra acutiſſimus, Muſicus, Poëta, Medicus, & Pictor. Opera publica elegantiſſima fecit. Inſtaurauit Pantheum, Baſilicam Neptuni, forum Auguſtum, lauacrum Agrippæ, & pontem ſui nominis Ælij, qui adhuc extat. Sepulchrum iuxta Tiberim ad pontem ſibi ſtruxit, quod & Moles Hadriani, iam vero Caſtellum & pons S. Angeli, dicitur. Indignũ eſſe ſtatuebat, vt Chriſtiani religionis cauſa occiderentur. Cumque Cothebas Iudaicæ factionis princeps, Chriſtianos, quod aduerſus Romanos nollent arma mouere, inſequeretur, Hadrianus omnes Iudæos interfici curauit, interdixitque ne cuiquam illorum Hieroſolyma pateret, donauitque ciuitatem mœnibus munitam, Chriſtianis, eam de ſuo nomine Æliam appellãs. Memoria fuit vſque ad ſtuporẽ felici. Ingenij liuidi & laſciui. Infamiam cum Antinoo geſſiſſe fertur. Cum ægrotaret, L. Ælium Cæſarem Romæ deſignauit, qui paulò poſt extinctus, Antoninum Pium adoptat, ea conditione, vt is M. Aurelium & L. Verum Ælij F. adoptaret. Fluxu ſanguinis moritur. 6. Id. Iul. V.C. 890. Ch. 139.

Vixit Annos 62.
Imperauit An. 20. M 10. D. 29.
Cineres in Mole ſua ſuper Tiberim tranſlati.



15. Sic geſturus ſum principatum, vt ſciam rem populi eſſe, non meam priuatam.

ET hæc auerſa pars nummi Hadriani nobis ea indicat, quæ nec hiſtorici, neque faſti vnquam ſcripſerunt: nimirum quo anno circus, ab Hadriano ædificatus fuerit. Inſcriptio talis eſt: ANN. DCCCLXXIIII. NAT· VRBIS. CIR. CON. Hoc eſt: Anno 874. natiuitatis Vrbis, (qui incidit in annum quartum Imperij Hadriani) Circus conditur. Figura ſeminuda eſt, ſedens ad tres obeliſcos, dextra rotam tenens. Circus erat locus, vbi ludicra celebrabantur certamina, de quibus lege ſub nummo 25. vbi figura eius exhibetur. Forma erat oblongâ, muri longi, latique latera claudebant, ad inſtar arcus. In circuitu habebat gradus, ſpectatoribus ſedem commodiſſimam præbentes, ita vt alter alterius proſpectum non impediret. M. Agrippa cum videret homines, propter multitudinem metarum, in Circo errare, Delphinos & ornata opera poſuit. Poſtea tantum Metæ tres hinc inde ſtylobatas habebant, & in medio obeliſcus maximus erectus. Varij Romæ fuere Circi, vt Circus Maximus, qui 260000. homines capiebat, Circus Neronis, Flaminij, Agonij, Traiani, iſtius Hadriani, Caracallæ, &c.

Hadriani nummi multi extant.

16. ANTONINVS PIVS XVI. IMP.

ANtoninus Pius, ex Aurelio Fuluio patre & Arria Fetidilla matre procreatus, Hadriani filius adoptatiuus, poſt eum Imperium ſuſcepit, & à Senatu meritò Pivs & Pater Patriæ cognominatus eſt. Per legatos ſuos plurima bella geſſit: Britannos, Mauros, Dacos, Germanos, Iudæos rebellantes contudit. Alanos refrenáuit. In Achaia atque in Ægypto rebelliones repreſſit. Orbem prope vniuerſum, non armis, ſed ſola virtute, auctoritate & famæ bonitate deuicit. Pacis fuit amantiſſimus, illudque Scipionis ſemper habuit in ore; malle ſe vnum ciuem ſeruare, quam mille hoſtes occidere. Chriſtianos vſque in XV. principatus ſui annum admiſit. Poſtea Geſcentis hæretici mēdaciis inductus, omnes exſtirpare iuſſit. Opera publica multa reſtituit. Spectacula plurima edidit. Amicis non aliter vſus eſt in imperio, quam priuatus. Ociosis ſalaria ſubtraxit, dictitans: Nihil eſſe crudelius, quàm rem ab iis corradi, qui nihil in eam ſuo labore conferrent. Seditiones non crudelitate, ſed modeſtia compreſſit. In victu eius opulentia ſine reprehenſione, parſimonia ſine ſordibus enituit. M. Aurelio Imperium & filiam Fauſtinam, & L. Verum conſortem Imperij reliquit. Deceſſit febre apud Lorium, Non. Martij V.C. 912. Ch. 161.

Vixit Annos 74. M. 5. D. 17.

Imperauit An. 22. M. 7. D. 26.

Sepultus in mole Hadriani, & inter Diuos relatus.



16. *Honeſtius eſt Cæſari, vnum ciuem ſeruare, quàm mille hoſtes occidere.*

HÆc auerſa pars, nobis Rogum ſiue Pyram repræſentat, cum hac inſcriptione:

CONSECRATIO. S. C.

Cuſus eſt hic nummus poſt obitum Antonini Pii, cum (vt Iul. Capitolin. ait) à Senatu, maxima iucunditate, DIVVS eſt appellatus. De Rogo autem ſic Herodianus lib. 4. & Dio in vita Seueri. *In Campo Martio extructus erat rogus inſtar turris, forma trianguli, ebore & auro ac nonnullis ſtatuis ornatus. In ſummo currus inauratus, quo Imperator olim vehebatur, collocatus erat. In hunc rogum coniectis primo iis, quæ allata fuerant parentandi cauſa, lectus* (in quo mortui Imperatoris ſtatua) *impoſitus eſt. Poſt, propinqui illam oſculantur. Quo facto, Imperator tribunal, Senatores autem in tabulata conſcendunt, vt tuto ſimul & commodè omnia ſpectent. Tunc milites, equites, atque pedites, circa Rogum curſus Vrbanos & confictos peragunt, gladiatores pugnant,* interdum captiui armis dimicare coguntur: *iisq́; peractis, Conſules rogum incendunt, & ita* Imperator *immortalitate donatur.* Lege ſub nummo 46.

Antonini Pij numiſmata plurima ſunt.

C 17. M. AV-


17. M. AVRELIVS ANT· XVII. IMP. ROM. & 18. L. VERVS XVIII. ROM. IMP.

MArcus Aurelius Antoninus Philoſophus, ex patre Annio Vero & Domitia Caluilla natus, & L. Aur. Verus, patre L. Ælio & matre Domitia Caluilla, poſt Antonini mortem Imperium ſimul ſuſceperunt, tenueruntq; per annos XI.

M. Aurelius à prima infantia artem Philoſophorum didicit. Ea bonitate & virtutibus excelluit, vt exemplū deſit, & ea temporum affuit calamitas, vt ſolus ærumnis publicis obſtiterit.

L. VERVS autem, vir ebrioſus, temerarius, ingenij laſciui, contra Parthos profectus, Antiochiæ & circa Armeniam agens, haud minore luxuria quam Romæ vixit, multa tamen per duces & ingentia patrauit. Seleuciam Aſſyriç vrbem & quadraginta hoſtium millia cœpit. Cum fratre eodemque ſocero M. Aurelio, triumphauit. Poſthæc in Marcomannos cum Marco profectus, in vehiculo ſedens apud fratrem, apoplexia ictus periit, non ſine veneni ſuſpicione, ei à Lucilla vxore, filia Marci, ob Fabiæ ſororis conſuetudinem propinati. Ætatis An. 42. Marco Aur. Imperium reliquit, qui ſolus, prouincias, ſumma veneratione & modeſtia gubernauit: populo adeò gratus, vt à plurimis, totius orbis defenſor, appellatus ſit. Perſecutionem tamen in Chriſtianos à patre cœptam, plurimum auxit, ſed Germanico mox bellò, Sarmatis & Quadis, Chriſtianorum beneficio, qui tum ſub eo militabant, deuictis, eos perſequi deſiit. Euſeb. lib. 5. cap. 5. Cum ſiti periclitaretur, æſtuans exercitus Aurelij, Barbaris circumdatus, à quibuſdam Chriſtianis precibus, pluuia impetrata eſt, hoſtesque fulminibus crebris, ac cœlitus prolapſis ignibus, effugati ſunt. Hinc ea legio fulminatrix poſtea dicta eſt. Vide Cæſ. Baron. Hæc omnia Aurelius Senatui ſcripſit, ſanciuitque edicto publico, vt ſi quis Chriſtianum quempiam eo nomine, quod Chriſtianus eſſet accuſaret, Chriſtianus quidem abſolueretur, accuſator autem eam pœnam ſubiret, quam ei intentabat. Nouo ex improuiſo in vniuerſa Europa tumultu exorto,





17· Æquius eſt, me tot & talium amicorum conſilium, quam tot tales meam vnius voluntatem ſequi.

18. *Non decet Imperatorem præproperè quicquam agere.*

17. IN hoc numiſmate M. Aurelij (ex maxima forma, quæ Italice Medaglioni dicitur) ſtatua equeſtris Imp. M. Aurelij expreſſa eſt, hac inſcriptione:

IMP. VIII. COS. III. P. P.

Hoc eſt: Imperator octies, Conſul ter, Patriæ Pater. Fuit autem ſtatua equeſtris huius Imperatoris, non tantum in nummis ex-

exorto, exactionibus Imperium grauare nolens, omnia ſua Imperialia vaſa aurea, pocula chryſtalina & murrhina, vxoriſque ornamenta, in foro Traiano, per duos continuos menſes, diuendidit, & exercitu comparato, in Germaniam cum filio ſuo M. Commodo profectus, contra Quados & Sclauos dimicauit. Poſt victoriam emptoribus, qui reddere comparata voluerunt, reſtituit precia: moleſtus nulli fuit, qui maluit empta retinere. Victor exercitum in Pannoniam atq; Illyriam duxit: poſtque victoriam partam, apud Bendobonam morbo correptus, vltimum diem clauſit 16. Cal April. An. ab V. C. 932. Ch. 181. Audito nuncio mortis, Vrbs publico luctu confuſa mœrorem induit, Senatus atra veſte dolorem teſtatus eſt. Fœliciſſimus certe princeps, niſi filium hæredem Commodum reliquiſſet.

Vixit Annos 58. M. 11. D. 20.
Imperauit An. 19. M. o. D. 12.
Sepultus Romæ ſuper Columna coclide, & conſecratus eſt.

Marci Aurelij nummi varij extant, L. Veri difficilius reperiuntur.

19. L.

preſſa, verum etiam in hodiernum diem; Romæ in area Capitolina, pulcherrima ex ære, equo æneo artificioſiſſimè elaborato inſidens, (quamq; cum admiratione conſpicatus ſum) conſpicitur. Sita eſt in baſi marmorea recenti opere, & impenſis Pauli III. Pont. Max. Farneſij, qui eam transferri curauit in Capitolium: cum antea erecta fuiſſet ante Baſilicam Laternanenſem. Sunt qui dicunt, hanc ſtatuam eſſe Antonini Pij, alij L. Veri, alij verò Septimi Seueri. Nam in nummis Antonini Pij hæc auerſa pars, vt vult Erizzo, etiam reperitur.

18. In Lucij Veri verò auerſa parte, tria ſunt trophæa ſpoliis ornata, cum tribus captiuis, Armeno, Partho, & Medo, humi deſidentibus, inſcriptione tali:

TR. P. VII. IMP. IIII. COS. II. SC.

Quod eſt: Tribunicia poteſtate VII. Imperator IIII. Conſul II. Senatus Conſulto. In honorem L. Veri cuſus fuit, cum Armenos, Parthos & Medos viciſſet. Vnde Iul. Capitolinus in vita L. Veri: *Duces autem confecerunt Parthicum bellum, Statius Priſcus, Auidius Caſſius & Martius Verus, per quadriennium, ita vt Babylonem, & Mediam peruenirēt & Armeniam vindicarent. Partumq; eſt ipſi (puta L. Vero) nomen Armenici, Parthici, Medici: quod etiam Marco Aurelio, Romæ agenti delatum eſt.* Claudianus has nationes deſcribit:

Hic mitra velatus Arabs, hic crine decorus
Armenius, hic picta Saces, fucataq; Medus.

19. L. AVR. COMMODVS XIX. IMP.

L. Æl. Aurelius Cõmodus Antoninus, ex M. Antonino Philoſo. & Fauſtina parentibus natus: omnibus certe incõmodus. Pueritiam eius pater optimis inſtituit præceptoribus, ſed nihil profuerunt. Mortuo in Germania patre, adoleſcens Imperator dictus eſt. Et quis filium Aurelij reieciſſet? In Vrbem veniens, crudelitate, libidine, ſuperbia, Caligulam & Neronem longè ſuperauit. Per tabernas & lupanaria ſeſe turpiter volutauit. Prouincias facinoroſiſſimis hominibus demandauit. Senatum contempſit. Nobiles plurimos interfecit. Matrem Fauſtinam in exilium miſit. Inter trecentas concubinas, quas ex matronarum, meretricumque delectu, ad formæ ſpeciem collegerat, in Palatio per conuiuia & latebras debacchabatur; cum trecentisque exoletis, Lucillam ſororem occidit: cæteras conſtuprauit. Totam Imperij adminiſtrationẽ Perennio conſiliario commiſit. Paternum nomen contemnens, abiectis Imperialibus ornamentis, ſe Herculem Romanum, Iouis filium appellauit, exuuias leonis indutus, manuque clauam geſtans, nudus ludos & gymnaſia frequentans incedebat. In ſcenam ſæpe aurigæ habitu prodiit. In Amphitheatro, gladiatorum more, publicè ſe exercuit. Vrbem Romam, Senatum populumque de ſe Commodianos appellabat. Bella per legatos geſſit. Tandem facta in eum conſpiratione, per Q. Ælium Lætum Præfectum & concubinam Marciam, quam inter omnes dilectiſſimam habuit, cum ei venenum inefficax propinaſſent, ſtrangulatus eſt. prid. Cal. Ianua. ab V.C 945. Ch. 194.

Corpus vnco trahi in Tyberim Senatus voluit: petitione tamen Pertinacis, in Hadriani monumẽtum tranſlatum eſt. Triduo pòſt deiectæ ſunt eius ſtatuæ, aliaque monumenta, quæ paſſim in vrbe Roma magnifica ſibi poſuerat.

Vixit Annos 31. M. 4.
Imperauit An. 12. M. 8. D. 15.
Sepultus vt dictum, & à Seuero inter Diuos relatus.



19. *Ab incolumi, quamuis paulatim, negocia perfici poſſunt: à mortuo nihil.*

PArs auerſa maximi nummi (Medaglione) Imp. Commodi, eſt cum tali inſcriptione:

P. M. TR. P. XII. IMP. VIII. COS. V. P. P.
TELLVS STABIL.

Id eſt: Pontifex Maximus, Tribunicia poteſtate XII. Imperator VIII. Conſul V. Patriæ Pater. Tellus ſtabilis. Eſtque Dea Telluris ſiue Terræ humi ſedens, cum globo Mundi, arbore, quercea ſiue vineà, victoria, & tribus figuris, quæ totidem repræſentant prouincias. Hac Dea, terram & omnia quæ terra generat ac ſuſtinet, quaſi omnium rerum mater, Romani ſignificarunt, & idcirco Magna Mater, & Mater Deum, dicta eſt. Eam curru ideo dicit vehi Seruius, quia terra eſt, quæ in aëre pendet. Leones illi ſubiiciuntur, quia materna pietas omnia poteſt ſuperare. De æde Deæ Telluris Romæ tenendum; quod P. Victor eam ſtatuit in quarta Vrbis regione. Seruius verò non procul à Carinis. Val. Maxim. in area ædium Sp. Caſſij, eius qui regnum affectauit. *M. Cicero pro domo ſua.* Sp. Caſſij domus ob eandem cauſam euerſa eſt, atque in eodem loco ædes poſitæ Telluris.

Comod. nummi ex omni genere metallorum magna copia extant.

20. P. HELVIVS PERTINAX, XX. IMP. ROM.

P. Heluius Pertinax, Patre Ælio libertino qui coctilitiam in Liguria exercuit, natus eſt. Puer literis edoctus, eaſdē profeſſus eſt, poſtea rei militari ſe dedit, & præfectus cohortis in Syriam miſſus, ex bello Parthico in Britanniam, inde Mœſiam & Germanicam, rexit claſſem. Commodo occiſo, Lætus Præfectus Prætorio, & electus Cubicularius, nocte intempeſta, mortem eius annunciarunt Pertinaci, eumque in Caſtra ductum, Imperium ſuſcipere coëgerunt. Fuit vir fortis & ſtrenuus, omnibus tamen ſe beneuolum ſemper & ciuilem exhibuit. Æs alienum ab initio Imperij contractum, facta auctione ſupellectilis Commodi Imperatoris, diſſoluit; operibus publicis certum ſumptum conſtituit; ſtipendia debita ſoluit; præmia militibus poſuit; Annonæ conſultiſſimè prouidit; Senatui ſemper præfuit; quidquid inculti ſoli vacabat, occupantibus adiudicauit; decemque annorum immunitatem, & perpetuam libertatem agricolis conceſſit. Auarus verò nimis in milites, & ſordidè in prouinciis ſe geſſit, & cum patrimonium ei eſſet perexiguum, ſubito factus eſt diues. Quinimo apud Vada Sabatia mercaturas Imperator exercuit, non aliter quam priuatus. Ob hoc militibus, omnibuſque aulicis inuiſus, à Læto Profecto, qui eum Imperatorem fecerat, in Palatio eſt confoſſus, cum duobus Cubiculariis, non inſcio Did. Iuliano, qui ſucceſſit. Caput conto fixum, milites per Vrbem in Caſtra tulere. 8. Cal. Aprilis, eodem Anno V.C. 945.

Vixit Annos 66. M. 7. D. 25.
Imperauit M. 2. D. 25.
Sepultus eſt truncus in ſepulchro vxoris aui, mox à Seuero conſecratus.



20. Sanctius eſt inopem Rempub. obtinere, quam ad diuitiarum cumulum per diſcriminum atq; dedecorum veſtigia peruenire.

IN hac auerſa parte expreſſa eſt Dea Prouidentia, ſtolata, ſtans, & manus protendens ad quoddam aſtrum, cum tali inſcriptione:

PROVIDENTIÆ DEORVM.

Romani hunc principem hoc numiſmate honorari voluerunt, denotantes regimen Imperij ei à Diis, (quos ipſi colebant) datum fuiſſe. Nam in alio nummo æreo, iſtius typi, pro aſtro videas globum Deæ Prouidentiæ è cœlo dari, quo orbem eiuſq; Imperium veteres deſignauêre: & Deam regimen illi tradere, qui eo eſſet digniſſimus. Prouidentia in numiſmatibus variis modis formata reperitur, vt in Ant. Auguſtino Dial. II. videre licet, qui hanc Deam XII. diuerſarum auerſæ partium exhibet.

Numiſmata Pertinacis rariſſima ſunt, ob breuitatem Imperij.

21. M. DID. IVLIANVS XXI. ROM. IMP.

M. Didius Iulianus Mediolanenſis, Filius Prætorij Didij Seueri, & Claræ Æmiliæ, literarum, præſertim Iuris, peritiſſimus: audita morte Pertinacis, militibus venale Imperiū proponentibus, cum in muro Caſtrorum (de quibus vide nummum 59.) de numeranda pecunia cum illis cōueniſſet, ac multo plura, etiam quam ſperarent, ſe daturum pollicitus eſſet; ab illis admiſſus, Imperatorque eſt appellatus. Adeptus Imperium delitiis atque crapulæ ſe totum dedit. Senatu neglecto, militibusq; vana ſpe pollicitationum deluſis, contemptui paſſim ab omnibus haberi cœpit. Quamobrem Senatus C. Peſcenium Nigrum, ad Vrbis præſidium euocauit, qui paulò pòſt in Syria cum exercitu ſuo à Iuliano defecit. Seuerus quoque in Illyrico copiarum dux, ab eodem deſciuit. Hic in Pannonia, ille in Oriente, Clodius Albinus in Britannia, à ſuis Imperator declaratur. Quam quidem rem Iulianus indigniſſimè tulit: ſed cum deſperata omnia videret, de participatione Imperij cum Seuerò Senatuſconſultum fieri obtinuit. Cæterum Seuerus ſe malle Iuliani hoſtem eſſe, quam Imperij participem teſtatus eſt. Deſtitutus omnium præſidiis Iulianus, ad Magiam ſe conuertit, populi odium delinire, & militum animos hac ratione compeſcere credens. Tandem auctoritate Senatus abrogatum eſt ei Imperium, & Seuerus Imperator appellatus eſt. Iulianus autem à quodam gregario milite, Seueri iuſſu, damnatorū more fuit obtruncatus 3. Cal. Octob. eodem An. V.C. 945.

Vixit Annos 60. M. 4. D. 4.
Imperauit M. 6. D. 5.
Sepultus in monumentis proaui.

Did. Iuliani nummi rarò reperiuntur.



21. *Etſi alterum pedem in ſepulchro haberem, adhuc addiſcere vellem.*

AVerſa pars numiſmatis Did. Iuliani exhibet figurã mulieris ſtolatam, dextra Temonem ſiue gubernaculum nauis, ſiniſtra verò cornucopiæ tenentem, hâc inſcriptione adiuncta:

P. M. TR. P. COS. æreis additur S. C.

Id eſt: Pontifex Maximus, Tribunitia Poteſtate, Conſul. Sunt qui habent globum ſub gubernaculo. Hæc figura Deæ Fortunæ eſt. Gubernaculo autem Principem & gubernatorem orbis (qui Globo figuratur) veteres ſignificare voluere. De Fortuna ait Iuuen.

Nullum numen abeſt, ſi ſit prudentia: ſed te
Nos facimus Fortuna Deam, cœloq; locamus.

Sic Fortuna credita eſt Dea antiquis, à qua omnia quaſi gubernaculo gubernarentur, vnde illud:

Vitam regit Fortuna, non ſapientia.

Et ipſe Conſtantinus Max. in ſuo ſymbolo, teſtante Goltzio, habuit:

Imperatorem eſſe, Fortunæ eſt.

Cum Cornucopiæ pingebatur Fortuna, vt abundantiam omnium rerum & diuitias ſignificaretur ab ea eſſe.

22. C.

22. C. PESC. NIGER. XXII. ROM. IMP.

C. Peſcennius Niger Iuſtus, ex patre Antonio Fuſco, matre Lampridia natus, à nigra ceruice Niger appellatus, cætera corporis parte candidus, capillo ad gratiam in verticem reflexo: adeo vocalis, vt ad mille paſſus vox eius audiretur. Vir mediocriter eruditus, multis & magnis in rebus verſatus, famamque obtinuerat manſuetudinis & dexteritatis, ſed diuitiis immodicus & vita parcus fuit. Ab exercitu Syriaco, eodem fere tempore quo Seuerus in Illyrico, Imperator ſalutatus eſt. Miles fuit optimus, Tribunus ſingularis, dux clarus, legatus ſeueriſſimus, Conſul inſignis, domi foriſque conſpicuus, Imperator infœlix. Nam cum Seuerus, Clodium Alb. (qui Romam cum exercitu, à quo Imperator dictus fuerat, venit) Imperij conſortem feciſſet, exercitus Nigri, duce Æmiliano ad Cizicum à Seuero & Albino fuſus & fugatus eſt. Exercitu nouo inſtaurato, apud Sinum Iſſicum iterumq; profligato, Niger fuga elapſus, Antiochiam peruenit, quem inſecuti Seueriani in ſuburbio quodam latitantem equites repererunt, & caput eius amputatum, piloque affixum, Byzantium miſerunt cruci affigendum. An. V. C. 946. Ch. 195.

Imperij An 1. & M. aliquot.

Vxorem habuit & filios, qui à Seuero occiſi ſunt.

Peſcenni nummi perdifficulter reperiuntur, ita vt pro argenteo anthentico, 4. 8. etiam 10. *Hungari ſoluantur.*

22. *Viuox-*



22. *Viuentes laudari irriſio eſt, maximè ipſius Imperatoris.*

IN hac auerſa parte videtur Dea Spes ſtolata, dextra lilium ſiue ramulum tenens, cum hac inſcriptione:

BONÆ SPEI.

Spes apud Romanos etiam Dea fuit, cuius ædes in foro olitorio, de quibus Liuius. *Goropius lib.4. Francicorũ*, vult eſſe liliũ, quod hęc figura tenet, & quod Francorum ſcutum tempore Iapheti tribus hiſce liliis inſignitum fuerit. Addit quoque ſex diuerſos nummos Cæſarum, quorum ſinguli ſimulacrum Spei habent, dextra prætendentis eundem florem, tribus foliis expreſſum. Nam non dubitatur (inquit) veteres Spei ſimulachro hoc lilium dare conſueuiſſe, cum lilium ſit Spei ſymbolum. Et reprehendit *Guill. du Choul* quod huius floris effigiẽ corrupit & ramum oliuæ eſſe dicat. *Anton. Auguſtinus* etiam ramulum foliaceum nominat, & primitias frumenti dicit indicare, quarum ſpe aluntur agricolæ. Plærunque Spes iuuenili forma in numiſmatibus exſculpta eſt, deſignatq; ſpem à iuuentute in homine dominari. Stola oblongâ, ſpem longam eſſe docetur. Quod autem dextro pede digitis tantum terram attingit, inſinuatur (inquit ille) ſpei incertitudo. Anterior pars huius nummi ſatis indicat legendum eſſe: Peſc. Niger Iuſtus,

23. L. SEPT. SEVERVS XXIII. ROM. IMP.

&

24. CLODIVS ALBIN. XXIIII. ROM. IMP.

LVcius Septimus Seuerus Pertinax, M. Getæ equitis Rom. & Fuluiæ Piæ filius, in Lepti ciuitate Africæ natus, vir fuit decorus, promiſſa barba, vultu venerando, bellicoſus, liberalis, litteratus, ac inſignis mathematicus, doctrinæ nimis cupidus, perfidus Afer. D Iuliano interfecto, Romam armatus mirifico apparatu ingreditur: amicos Iuliani neci dat: Q. Ælium Lætum Præfectum prætorianorum militum, qui Commodum & Pertinacem occiderat, morte multat, & Prætorianam cohortem armis ſpoliat, Vrbéque eiicit. Cum aduerſus Peſc. Nigrum exercitum duceret, metuens ne Clod. Albinus, qui tum exercitui Britannico præerat, Romam veniret, eũ prius Cæſarem, poſtea Imperij conſortem fecit.

24. *Clodius Albinus*, Nobilis erat Romanus, ex patre Cxionio Poſthumo, matre Aurelia Meſſalina genitus, ſtatura procera, capillo criſpo, fronte lata, admirabili candore, motu facili, iracundia graui, furore triſtiſſimo, in luxuria varius, voracitatiſque maximæ. Ob res præclare in militia geſtas, à Commodo Cæſarianum nomen oblatum, cum gratiarum actione modeſtiſſime recuſauit. Victo autem Peſc. Nigro à Seuero (qui Albinum latè imperare ferre non poterat) primum inſidiis eſt petitus, quibus detectis, manifeſtè contra eum exercitum duxit. Multis prælijs vario Marte acerrimè pugnatum eſt, tandẽ vltimo prælio commiſſo, fuſæ ſunt Albini copiæ. Albinus ſauciatus à militibus captus, ſemiuiuus ad Seuerum ductus eſt: cuius caput abſciſſum, pilo prius circumlatum, Romamque miſſum, publice patibulo affixum eſt. Corpus ante prætorium ad fœtorem vſque iacuit, laceratumque à canibus in Rhodanum coniectum eſt. 11. Cal. Martij V.C.949 Ch.198. Imperij cum Seuero An. 3. M. 8.

SEPT. SEVERVS ordinatis Britanniæ, Galliæque rebus,





23. Turbatam Rempublicam vbiq; accepi: pacatam etiam Britannis relinquo.

24. Non hoſpes ab hoſpite tutus.

NVmmus hic Carthagine percuſſus in gratiam Septimi Seueri Imp. qui Carthaginienſes indulgenter habuerat data pace æterna, Tripolitanis vnde oriundus erat, diuiſis agris, & gratuito annuè conceſſo oleo, quibus beneficiis (inquit Spartianus) inter Deos ab Afris relatus eſt & conſecratus. Habet hæc auerſa pars Iunonem, qualis à Carthaginienſibus colitur, leone vecta. Eius meminit Appuleius.

Sine

bus, Romam rediens, populum ac milites multis muneribus donat: Albini amicos crudeliter punit, bona eorum publicat, ærarium auget, ludos ſeculares egit. Filium Caracallam Cæſarem declarat. Cum Parthos, Arabes, Adiabenosque viciſſet, triumphum filio conceſſit. Poſt Seuerus venit in Palæſtinam, Pompeio parentauit in Ægypto, & clauſit monumentum Alexandri: reuerſus, Vrbem ouans ingreditur, & ſæuit in Senatores, quorum plurimos neci dedit. Iuniorem filium Getam etiam Cæſarem fecit, & cum duobus filiis expeditionem Britanniæ ſuſcepit, vbi & Eboraci articulari morbo, è vita deceſſit. prid. Non. Feb. V. C. 965. Ch. 212. Antequam moreretur, dixit filiis: Facite vt conueniat inter vos, locupletate milites, cæteros omnes contemnite.

Vixit Annos 65. M. 7. D. 18.
Imperauit An. 17. M. 8. D. 3.
Oſſa in vrna Romam perlata, in mole Hadriani repoſita ſunt.
Inter Diuos relatus.

Sine

Siue celſa Carthaginis qua te virginem
Vectura leonis, cœlo comeantem percolit.

Hac igitur figura mundum & mundi animam ſignificarunt, Spiritum ſcilicet qui ex elementis omnia generet, moderetur ac ſuſtineat. Quod ad inſcriptionem attinet :

INDVLGENTIA AVGG. IN CARTH.

Magnificum eſt clementiam Principis etiam in Deos tranſfuſam, niſi hæc eſt priſcorum conſuetudo, qui præſides Deos vrbis loco pingebant, vt Ci[illegible] in Verrinis : & videmus etiam in numiſmatibus, Cererem in Siculis, Iouem in Brutiis, Bacchum in Thaſiis, Cybelen in Cizicenis, quemque pro reuerentia & religione, qua ſingulis locis habebantur. Hæc Occo, citans Nicol. Viuianum.

24. Clod. Albini nummus habet ab auerſa parte figurā ſtolatam ſtantem, cum hac inſcriptione :

CLEMENTIA AVG. COS. II. S. C.

Quod eſt, Clem. Auguſti, Conſul bis, Senatuſconſulto. Hæc figura eſt Dea Clementia, dextera tenens pateram, ſiniſtra haſtā, ſiue bacillum, quia nihil (vt inquit Ant. Auguſtinus) violenter, ſed omnia moderatè agit. Patera erat vas aptum ad recipiēdum ſanguinem victimæ, qui poſtea in aram accenſam infundebatur. vnde Virgilius :

—— *Tepidumque cruorem,*
Suſcipiunt pateris. ——

Reperiuntur pateræ ex auro, argento, ære & marmore. In quadam auerſa parte nummi Vitellij Imp. conſpicitur Dea Clemētia ſedens in ſubſellio, ſiniſtrâ habens bacillum, dextra verò ramum oliuæ, quo ſua propria Clementia, pacem benignè offert.

Imp. Seueri nummi magna copia ex argento reperiuntur; ex ære difficulter. Clodij Albini autem ſunt rari & cari.

25. ANTON CARACALLA XXV. IMP. & frater eius.

26. SEPT. GETA XXVI. ROM. IMP.

M. Aur Antoninus Caracalla,ex Sept.Seuero Imper & Marcia matre procreatus, Baſſianus primo dictus. Pueritiam oſtēdit optima indole, literis & moribus liberaliter inſtitutam. Eam egreſſus, mores mutauit, ſæuior & truculentior factus, ſuperbus, arrogans. A patre in Clod. Albini Cæſ. interfecti, locum, ſubrogatus eſt. Moriens Caracallæ & Getæ filiis Imperiū reliquit.

26. S. GETA autem, etiam Sept.Seueri, ſed ex matre Iulia ſecunda vxore, filius, poſt bellum Parthicum, à Patre ingēti gloria florens, Cæſaris & Antonini nomen acceperat. A fratre petitus eſt inſidiis, quod eum leuitate morum à ſe diſcrepantem, ferre conſortem Imperij non poſſet. Conſiliarij abalienatos reconciliare ſtudebant, ſic diuiſo, vtroq; conſentiente, Rom. Imp. vt Europa cum partibus Meridionalibus Caracallæ cederet, Aſiæ & Orientis Imperium Getæ. Sed odium fraternum indies magis magiſque inualuit. Caracalla fratri, quem maior pars ob probitatem ſectabatur, primum parauit inſidias veneno, quibus non procedentibus, in cubiculum eius irrupit, & ſupra matris Iuliæ pectus, crudeliſſime eum interfecit. An. ab V.C. 964. Æta. An. 22. M. 9. Imperij cum fratre. An. 1 D. 22. Sepultus in Septizonio patris; de quo lege ſub num. 10.

25. Caracalla hoc ſcelere commiſſo, ad Caſtra Prætoria fugit, vbi milites argento & verbis corrupit. Fratrem Diuum appellauit: *Sit* (inquit) *Diuus, dum non ſit viuus.* Fratre necato omnes eius domeſticos & amicos occidit, nec infantium ætati pepercit. Quamdiu principatum tenuit, omnis orbis terrarum vaſtatus eſt. Baſſiani cum cætera omnia, tum nummus adulterinus erat Nam pro argento, aurove, plumbum argentatum, & æs inauratum parabat. Multas cædes, aliaque multa faciebat contra ius. Fuit impatiens libidinis, qui nouercam ſuam Iuliam eius illecebris captus, duxit vxorem. Hæc pulcherrima & adulteriis

famoſa





25. Quia ob res à me geſtas vos mihi inuidere ſcio: in armis ſtipatus ſum militum agmine.

26. Tu qui nulli parcis, potes etiam fratrem occidere.

CIrcus pulcherrimus in hac auerſa parte conſpicitur, ab ipſo Caracalla ædificatus, cum inſcriptione:

P. M. TR. P. XVI. IMP. II. COS. IIII. P.P.S.C.

Legitur vt ſub nummo 19. De ſtructura Circi autem, lege ſub nummo 15. Ludi qui in Circis peragebantur, Circenſes dicti, varij erãt, ad exercendam iuuentutem Romanam, maximè nobilem, & milites legionum accommodati. Interdum certamen erat currule, Quadrigis, Bigis & Trigis inſtitutum. Aurigæ, qui

famoſa fuit. Cum aliquando in ſuo cubiculo denudata eſſet, & ipſe Caracalla fortuito ſuperueniſſet, dixit ei: Luberet ſi liceret, cui illa: *Licet ſi lubet, an neſcis te Imperatorem eſſe*? teque leges præſcribere non accipere? Veſtales virgines viuas terra obruit. Propter crudelitatem ſe peroſum ſentiens, Roma relicta, in Galilæam ſeceſſit. Partici nomen magis dolo, quam virtute obtinuit, de quo in vita Macrini. Hyematurus in Meſopotamia, apud Carras Vrbem, dum Lunæ deæ templum inuiſeret, & ad requiſita naturæ diſcederet, inſidiis à Macrino præfecto poſitis, per Martialem centurionem (cuius fratrem paulò antè occidi iuſſerat Caracalla, & Martialem per contumeliam timidum & ignauum dixerat) pugione per auerſum eſt traiectus. Macrinus timore militum per diſſimulationem, mortem eius deplorans, corpus cremari iuſſit. 6. Id. April. An. ab V.C. 969. Ch. 218.

Vixit Annos 29.

Imperau. An. 6. M. 2. D. 5.

Sepultus Romæ in mole Hadriani, à Macrino conſecratus.

Numiſmata Caracallæ ex argento pleraq; extant. Ex ære rara ſunt. Getæ autem pauca reperiuntur.

decur-

decurſione primus metas, poſt ſeptem circuitiones & conuerſiones attigiſſet, laurea offerebatur. Quadrigarum memorabilem deſcriptionem, lege ſub num. 62. Bigæ autem, Lunæ ſacræ erant; ob hāc cauſam (vt videtur) quòd gemino curſu cum Sole contendit; ſiue, vt Iſidorus inquit: quia & nocte videtur & die. Eadem de cauſa biiugorum alter niger, alter candidus erat. Trigas autem Inferis ſacras fuiſſe, tradiderūt veteres. Interdum in Circis naualis pugna (vt & in Amphitheatro) committebatur, vt Romani diſcerent etiā in aquis aduerſus hoſtes pugnare. Claudius in Circum produxit Theſſalos equites, qui feros tauros per ſpatia Circi agebant, & in defeſſos inſiliebant, & ad terrā cornibus detrahebant. In eo iugulata ſunt aliquando mille, interdum decem millia beſtiarum, quà ferarum, quà manſuetarum. Lege ſub auerſa parte nummi 37.

26. Nummi Getæ pars auerſa, typum Nobilitatis exhibet, figurâ ſtolatâ ſtante, dextra haſtam, ſiniſtra Imaginem tenentes cum hac inſcriptione:

NOBILITAS.

Nobiles apud Romanos ij demum dicebantur, qui Magiſtratum Curulem geſſerant, cuius primus gradus erat Ædilitas Curulis, & inde ius Imaginis ponendæ habebant. Quod paſſim ſe adeptum iam gloriatur Cicero, poſtquam Ædilis Curulis factus eſſet. Hinc videtur Nobilitas in hoc nummo Imaginem illam habere tanquam eiuſdem principium. Cæterum moris apud Romanos fuiſſe conſtat, vt Optimates plurimas haberent imagines, Icones, ſiue ſimilitudines, (vt decernuntur à Plinio) ex cera compoſitas, quæ verè referebant ipſorum maiores & prædeceſſores. Nec aliis licitum erat quam Patriciis, & iis qui publica adminiſtrauerant officia, has Imagines habere, aut parare. Hique Nobiliores & præſtantiores æſtimabantur, qui talium Imaginum maiorem copiam oſtendere poterant. Ferebantur eiuſmodi in pompis funebribus ad cohoneſtandum exequias eius, qui ex illa erat familia. vide nummum 16.

27. M. OPEL. SEV. MACRINVS XXVII. IMP.
& filius eius
28. ANT. DIADVMENIANVS XXVIII. IMP.

M. Opelius Seu. Macrinus, natione Maurus, obſcuro genere natus, probitate & æquitate ſua obſcurabat ignobilitatem generis. Prætorio Præfectus, magiſtratum optime adminiſtrauit. Quarto poſt interfectum Caracallam die, à militibus Imp. creatur. Homo animi atq; oris impudentis, ſanguinarius, arrogans & faſtuoſus. Magiſtratus indignis hominibus contulit. Ad Parthicum bellum profectus eſt: quod à Caracalla eius anteceſſore contra omne ius eſt inchoatum. Qua de re ſic Herodianus lib. 4. Caracalla affectans nomen Parthicum ad Orientem feſtinauit; literas & dona ampliſſima ad Artabanum regem miſit, quibus dolo, filiam eius in matrimoniũ petiit, pacem enim ſanctam tum inter ſe habebãt. Rex Parthorum conſentit; Caracalla ingreditur regnum, & à Barbaris vbiq; maximo honore recipitur. Appropinquans Palatio, Rex, barbaris inermibus comitatus, ſponſo & genero futuro obuiam prodit, & in caſtra venit. Vbi cibum & potum ſimul ceperunt; Signo ab Imperatore dato, Romani Barbaros circumfundunt, cædemq; maximam committũt, quam vix rex ipſe euaſit; deinde totum regnum deuaſtârunt & profligarunt. Ob hoc turpe facinus Antoninus Caracalla ſe Parthicum nominauit; ſed paulò pòſt necatur. Artabanus autem, volens vindicare hanc iniuriam, maximo exercitu Romanos inuadit. Macrinus Imp tribus conflictibus maximis per triduum cum illo dimicauit. Tandem cum Artabano per legatos ſignificaſſet, perfidum Caracallam occiſum eſſe; fœdus cum eo iniit, & pacem bis millies H S. ab eo mercatus eſt. Milites deinde tumultuari cœperunt, quod non daret eis innumerabilia, quæ Anton. Caracalla dederat. Macrinus autem in omnibus deliciis vixit. Interea factionib. Sœmiadis filius Mœſæ nepos, Lupus Antoninus Elagabalus dictus Imperator deſignatur, cuius ætatem ac mores Macrinus ad Senatum datis ampliſſimis litteris notat, & ſuum filium





27. *Dÿ faxint, vt filius Antonini meritum affingat: & ego qui ſum pater Antonini, dignus omnibus videar.*

28. *Pater curabit vt nihil Imperio deſit, & ego me pro Antonino geram.*

AVerſa pars Imp. Macrini, præſefert Lupam, cum **Romulo** & Remo lactantibus. Inſcriptione tali:

ROMÆ FEL.

Id eſt: Romæ felici. Hoc numiſma in Vrbe non eſt formatum, cum S.C. quod plerunque in nummis æreis reperitur, deſit. Lupa cum geminis fratribus ipſam Romam & eius originem

DIADVMENIANVM ex Numia Celſa procreatum, puerum formoſiſſimum,conſortem Imperij fecit,atque Antoninum (eo quod nomen illud, eo tempore, omnibus amabile eſſet) appellauit. Sed legiones ad Ant. Elagabalum deficiunt. Macrinus victus & cum paucis fugiens, in vico Bythiniæ, cum filio Diadumeniano quinquagenario maior, occiſus eſt. Cum nonnulli filium Diadumenianum, ſub necem patris ſeruare vellent,cubicularius quidam protulit epiſtolas Diadumeniani, quibus futuræ eius crudelitatis indicia non obſcurè ſignificabantur: quæ mortem eius accelerauerunt. Abſciſſum vtriuſque caput, ad Ant. Elagabalum perlatum eſt. Id. Iunij, ab V.C.971.Ch.219.

Vixit Annos 54.
Imperauit An.1. M.2. D.3.
Sepultus.......

Macrini & Diadumeniani nummi ex omni genere metallorum, reperiuntur.

repræ-

repræſentat. Vxor autem Fauſtuli paſtoris, quæ hos, infantes veſtalis filiæ Numitoris ad ripam Tyberis expoſitos, aluit, vocabatur Lupa inter paſtores: vnde poetæ finxerunt Romulum & Remum vberibus Lupæ feræ educatos fuiſſe. de ea Virgil.

Illic res Italas, Romanorumq́ triumphos,
Haud vatum ignarus, venturique inſcius æui
Fecerat ignipotens, illic genus omne futuræ
Stirpis ab Aſcanio: pugnataque in ordine bella.
Fecerat & viridi fœtam Mauortis in antro
Procubuiſſe Lupam, geminos huic vbera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impauidos, illam tereti ceruice reflexam,
Mulcere alternos & corpora lingere lingua.

28. Diadumeniani nummus ab auerſa parte ipſum Principem ætate iuuenili exprimit, ſtantem iuxta tria ſigna militaria, ſiniſtrâ ſceptrum, dextrâ verò vnum ſignorum tenentem, cum hac inſcriptione:

PRINCI. IVVENTVTIS.

Signa militaria apud Romanos erant inter alia, ſignum cohortis, ſiue vexillum, & Aquila legionaria. Vexillo de more erant affixa Impp. nomina ſcripta, & imagines. Suetonius ſcribit Artabanum Parthorum regem cum veniſſet ad colloquium Legati Conſularis & Euphratem tranſgreſſus eſſet, aquilas & ſigna Romana, Cæſarumque imagines adoraſſe. Et quemadmodum ſigna Cæſarum imagines, ita & vexilla eorum nomina præſeferebant. De Aquila egimus ſub num. 5. De Principe Iuuent. ſub num. 56.

29. M. ANT. ELAGABALVS XXIX. ROM. IMP.

M. Aur. Antoninus (corruptè Heliogabalus) Varius Baſſianus, fuit Caracallæ & Iuliæ Soemiadis ex inceſtu, filius. A prima ætate, in ſummo luxu, turpitudineque enutritus, aſtu mulieris Variæ Moeſæ (ſororis Iuliæ, Caracallæ vxoris & nouercæ) auiæ ſuæ, ad Imperium peruenit. Ex Oriente Romam profectus interfecto Macrino, tralato etiam inde Elagabali numine, ad vrbem, in ſummam omnium expectationem venit: ſed illi mox omnia in ludibrium & odium conuerſa ſunt, & ſtatim monſtrum humani generis ſe exhibuit. Matrem ſuam in Senatu Conſulum ſubſellia occupare voluit, eiusque arbitrio omnia permiſit. Morte multauit homines ſibi amiciſſimos, propterea quod ipſum hortabantur, vt modeſtè viueret. Homo omnium impuriſſimus, circumcidit ſe, & per omnia caua corporis libidinem recepit. Veneris perſonam induit, hoc ſolum ſpectans, vt dignus plurimorum libidine videretur. Baſſianam ſe pro Baſſiano iuſſerat appellari, Veſtalemque virginem. Abſciſſis genitalibus nupſit, & coiit, Matrique Magnæ ſe ſacrauit, in Oreſta Vrbe à ſe condita; humanas hoſtias ſacrificaſſe, inauditamque crudelitatem exercuiſſe, ſcribitur. Cæſaris nomen abrogare, & ſtatuas atque titulos luto tegendos, voluit. Cumque cum Alexandro conſobrino, quem licet ipſe ſibi adoptauerat, in gratiã redire nollet, à militibus, in latrina ad quam confugerat, vna cum matre interfectus eſt. 11. Cal. Martij. ab V. C. 975. Ch. 224.

Vixit Annos 28. M. ......

Imperauit An. 3. M. 9. D. 4.

Cadauer in Tiberim proiectum, pondere annexo.

Nomen eius iubente Senatu eraſum fuit.

Huius numiſmata ex argento varia reperiuntur. ex ære verò difficilius.



29. *Quid melius, quam vt ipſe mihi hæres ſim, & vxori meæ?*

IN hac nummi auerſa parte: Figura ſtolata iuxta aram, dextrâ pateram tenens ſacrificantis ritu, & Sol ſupra aram, cum hac inſcriptione videtur:

SACERD. DEI SOLIS ELAGAB.

Quæ ſatis indicat, Elagabalus & non Heliogabalus, legendum eſſe. Nam Aſſyrij omnes Solem colebant olim, qui ipſorum lingua E L dicitur. Cum hic vna cū matre & auia, à Macrino Imp. coactus fuit in Phœniciam migrare, ibique à Phœnicis ſacerdos Solis factus, nomen Elagabali adeptus eſt. Erat tum adoleſcens formoſiſſimus, qui corporis forma & ætatis flore omnes mortales, & in primis Rom milites, qui templum Solis frequentabant, in ſe conuertit. Admoniti igitur ex ſugillatione auiæ, Antoninorum edita ſanguine, nummiſque ab ea corrupti, contrà Macrinum, eum Imperatorem dixerunt Ingreſſus Vrbem, Elagabalo in monte Palatino templum conſecrauit: & vt Seruius in VII. Æneid. *Gabalus Imp. Rom. ſe Solem dici voluit.* Reperiuntur & alij nummi, cum inſcriptione: INVICTVS SACERDOS AVG. itē, SVMMVS SACERDOS AVG. ex argento. Iuſſitq; cudere numiſmata aurea maxima omnium forma, pondere, 4.6 8.20. & 192. Drachmarum, quæ lib. 2. efficiunt. Eius ſucceſſor frangere, & proflare iuſſit.

30. M. AVR. SEVER. ALEXANDER XXX. ROM. IMP.

M. Aurelius Seuerus Alexander, ex Iulia Mamæa, fœmina pia matre, & Vario patre genitus, conſobrinus Elagabali. In prima pueritia ingenio clarus, dexteritate conſpicuus, tam ciuilibus quam militaribus artibus inſtitutus, facundiæ græcæ magis quam latinæ peritior, in verſu non inuenuſtus, mireque pinxit. Imperator factus, infames, ab Elagabalo in officio admiſſos, miniſterio aulico priuauit. Palatium expulſis impudicis purgauit. In viros bonos beneuolentia, & (quæ præcipua dos Princ.) ſingulari fuit in omnes clemẽtia. Pauperum filios publicè aluit: Opera publica multa inſtituit & inſtaurauit. Mater eius Mammæa in Antiochiam profecta, ab Origene in fide inſtructa, Chriſtiana facta eſt. Expeditionẽ Perſicam ſuſcepit. Victo rege Xerxe, Romam reuerſus, ſpecioſum egit triumphum. Congiarium populo, & donatiuum militibus dedit. Nemo à latere eius triſtis ſubmouebatur. Chriſtum in larario ſuo coluit, cui & templum exſtruere voluit. Illam ſententiam frequentem in ore habuit: *Quod tibi non vis, alteri ne feceris.* Locum etiam Chriſtianis adiudicauit, quibus popinarij litem intendebant; Per Proconſules ſuos in Mauritania, Illyrico, Armeniaq; multa fœliciter geſſit. Bello Germanico, collecto exercitu, in Gallias profectus eſt, ibique à militibus, quod in eos ſeuerior eſſet, & mater auarior, Maximino duce vna cum matre, Moguntiæ ad Rhenum trucidatus eſt. 4. Non. Octob. ab V. C 9 7 Ch. 236. S. P. Q. R nuncio de morte eius accepto, valde cõtriſtatus eſt, ac in optimi Principis honorem Cœnotaphium in Gallia, Romæ ampliſſimum ſepulchrum ſtatuit.

Vixit Annos 29. M. 3. D. 7.

Imperauit An. 13 M. 7 D. 17.

Cadauer Romam relatum, in ſepuchro à Senatu fabricato ſepultũ, ab eoq; inter Diuos relatus eſt.

Nummi Alexandri ex omni metallo magna copia reperiuntur.

30. Quod



30. *Quod tibi, hoc alteri.*

IN numiſmate Seu. Alexandri, ab auerſa parte, quatuor figuræ in ſubſtructione conſpiciuntur: ex quibus vna teſſeras diſtribuit, & Imperator, ſedi Curuli inſidens, dextra cornucopiæ tenet, hac inſcriptione:

LIBERALITAS AVGVSTI. IIII.

Cuſum fuit hoc numiſma, vt inſcriptio indicat, tempore quo Alexander quartum congiariũ populo diſtribuerat. vnde Lampridius in vita Alexandri: *Congiariũ ter populo dedit, donatiuum militibus ter, carnem populo addidit.* & paulò pòſt: *Alia die actis Circenſibus, item ludis Scenicis, deinceps Congiarium populo Romano dedit.* Congiarium, à Congio certa mẽſura, vocabãt, quod populo à viris Principibus liberalitatis ergò præſtabatur, vt, nũmi, agri, frumentum, oleum, ſal, veſtis, vinum, obſoniũ, & epulum. Congius menſura vſitatiſſima apud Romanos, in liquidis, continebat circiter 3. menſuras Argentinenſes. Donatiuum autm erat, quod militi dabatur.

Teſſera, erat figura omni ex parte quadrata, qualẽ eſt videre, in iis oſſiculis, quibus in alueolo ludimus, certiſque punctis, qui menſuram aut quantitatem frumenti, argenti, veſtium, aut rerum ſimilium, deſignabant, notatis.

31. C. IVL. MAXIMINVS XXXI. ROM. IMP. & filius eius.

32. C. IVL. VER. MAXIMVS XXXII. ROM. IMP.

C. Iulius Maximinus, è Thracia oriundus, parentibus barbaris patre Micca, matre Ababa dicta, in prima pueritia paſtor & opilio fuit. Corporis pedum octo, & prope ſemis longitudine, tanto robore præditus, vt ſeptem valentiſſimos milites proſterneret, terræq; allideret: tãtæq; voracitatis, vt vno die 40. vel, vt Cordus author eſt, quinquaginta libras carnis ederet, Amphoram Capitolinam, (continebat autem 2. vrnas ſiue 8. Congios, id eſt, circiter 24. mẽſuras Argentinenſes) vini biberet. Stipendia ſub Seuero meruit, ſub Caracalla ordines militares duxit, ſub Macrino militare deſiit, atq; in patriã ſe recepit. Sub Elagabalo Romam rediit, ſed inuento Imperatore impuriſſimo, à militia deceſſit. Interfecto verò Romam reuerſus, ab Alexandro gratanter ſuſceptus, & exercitui vniuerſo præfectus eſt. Alexandro cum matre à militibus, Maximi perſuãſu interempto, ipſe primus ex corpore militari, etſi nondum eſſet Senator, ab exercitu (quamquam inuitus, vt habet Herodianus) Auguſtus dictus eſt: filio Maximo, cum ageret ætatis XVIII. in participationem Imperij adſcito.

32. Hic VERVS MAXIMVS, paternæ proceritatis hæres, tãta fuit corporis pulchritudine, vt procaciores fœminæ ex eo cõcipere vehemẽter optarent. Animo in tantum erat elato, vt pedes & genua ſibi oſculari pateretur. Vini parcus, ciborum appetens. Cum patre imperator factus, & occiſus eſt.

Maximinus autẽ principatum adeptus, põtẽ Rheno impoſuit, quo in Germaniã pateret tranſitus. Cumq; inſtaret meſſis in Barbarorum regiones tranſiit: ſed aliquamdiu nullos hoſtes ſibi obuios habuit, quod ad paluſtres locos confugiſſent. Quapropter, cũ oppidula paſſim deſerta eſſent, & ædificia ex ligno & ſtramine tantum conſtarẽt, totã regionem facile deuaſtauit, & milites ſuos præda ditauit. Cum autem paludibus appropinquaret,





31. *Ego quo maior fuero, hoc magis laborabo.*
32. *Ex peſſimo genere ne catulus quidem educandus.*

IN numiſmate C.Iul.Maximini ex auerſa parte duæ figurę ſtã-tes, & vna parua ſedens, depictæ ſunt, cum inſcriptione:

VICTORIA GERMANICA. S.C.

Effigies iſta, ſiniſtra tenens haſtam, eſt Imperatoris Maximini, cui victoria à tergo imponit laureã. Imaguncula quæ ante Imp. humi lugubri ſedet habitu, repræſentat prouinciã Germaniam, captam & ſubactam Percuſſum eſt autem proculdubio in gratiam Maximini Imperatoris, cum de Germanis ingentem illam obtinuiſſet victoriam, de qua egimus in vita Maximini, Iul.Capitolini de eadem hoc modo: *Ingreſſus igitur Germaniam trans*

Rhenã-

quaret,ibi tantus conflictus,commiſſus eſt,vt locus ſanguine & cadaueribus infarciretur. In his pugnis Maximinus ſe generoſiſſime geſſit, & plurimos barbaros ipſemet occidit. Deuictis barbaris rem omnem non tantum literis Senatui ſignificauit, verum etiam conflictum ipſum ad viuum delineatum & depictum Romam miſit. Ipſe autē cum ſpoliis ſe in Syrmium Pannoniæ vrbem ad hybernandum recepit. vide Herodian. & Capitolinum, quem cito ad hanc rem ſub auerſa ſequente parte. Poſtmodum Maximinus omnis crudelitatis genus exercere cœpit: Vnde Cyclops, Buſyris, Chiron, Phalaris, Typhon, & Biges cognominabatur. Omnes generis ſui conſcios, ignobilitatis tegendæ cauſa, interfecit, pleroſque viros Senatorij ordinis & qui triumphum egerant, officio priuauit, & bona illorum publicauit, ærarium & templa ſpoliauit. Tandem cum ſe contra Germanos & Sarmatas pararet, cupiens vſq; ad Oceeanum ſeptentrionales partes ſubiugare, didicit, ſe cum filio hoſtem à Senatu iudicatum eſſe. Italiam ingreſſus, Aquileiam obſidione cinxit: in qua cum vehementer fame laboraretur, ipſeque Maximinus in odium totius exercitus veniſſet, vna cum filio ſuo, in caſtris, dum in tentorio ſuo quieſceret, trucidatus eſt. Capita haſtis ſuffixa, Romam tranſmiſſa, in Campo Martio, inſultante populo exuſta ſunt ab V.C. 990. Ch. 238.

Vixit annos 65.
Imperauerunt An. 2. M.
Cadauera in profluentem proiecta ſunt.

Rhena-

Rhenanam 400. mille barbarici ſoli vicos incendit, greges abegit, prædas ſuſtulit, barbarorũ plurimos interemit, militem diuitem reduxit, cepit innumeros: & niſi Germani per amnes, paludes & ſyluas confugiſſent, omnẽ Germaniam in Romanam ditionẽ redegiſſet.

32. Maximi Imp. nummus ab auerſa parte ſex repræſentat ſigna Pontificalia, quibus vtebantur Romani in ſacrificiis: Lituum, Seceſpitam, Guttũ, Capedunculam, Aſpergillum & Pateram, cum inſcriptione:

PIETAS AVG.

Deſignatur his omnibus quaſi rebus ſacris, pietas Iuuenis Principis. *Lituus* erat ſceptrum ſiue baculus Augurum, quo ſedentes auibus templa deſignabant. Apud Gellium verba Higini in Virgilium, lib. 5. c 8. ita ſe habent: *Lituus erat virga breuis, in parte qua robuſtior eſt, incurua, qua Augures vtuntur.* Cicero 1. de Diu. *Quid Lituus eſt veſter? quod clariſſimum eſt inſigne Auguratus; vnde vobis eſt traditus? Nempe eo Romulus regiones direxit, cum Vrbem condidit.* Seceſpita erat culter ferreus oblõgus, manubrio eburneo rotundo, ſolido iuncto ad capulũ auro, argentoq́;, fixus clauis æneis ære Cyprio, quo Flamines ſeu Flaminicæ virgines, põtificesq́; ad ſacrificia tantùm vtebantur: dicta autem eſt ſeceſpita, à ſecando. Guttus ſiue guttulus, dicitur à gutta, teſtante Varrone: quod propter colli anguſtiam humor inde guttatim efflueret. Gellius lib. 17. c. 8. Guttũ dicit vaſis eſſe genus, in quo oleum aſſeruabatur. In ſacris quidem moris fuiſſe apud veteres, vt hoſtiarum exta, dum ſuper aram cremabantur, madeſcerent oleo, quo facilius exurerentur, docet Maro illis verbis:

Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis.
Pingue ſuperque oleum fundens ardentibus extis.

De Capedine ſiue Capedunculа, ſic Cic. in Parad. *Quid autem Numa Pompilius? minus ne gratas Diis immortalibus Capedines ac fictiles vrnulas, quàm filicatas aliorũ pateras arbitramur?* Capedo enim à Capiendo thure ex acerra dicta eſt. *Aſpergillum* ſiue aſperſorium, eſt, quo veteres ſpargendo ſe aqua pura, quæ in templis erat, luſtrabant. De Patera vide ſub nummo 24.

Numiſmata patris multa habentur. Maximi filij autem, ſunt cara

33. M. A. GORDIANVS AFRICAN. XXXIII. IMP.

M. Antonius Gordianus Africanus (ſic enim legēdum) patrem Metium Marullum, matrem Vlbiam Gordianam, ex gente Traiani Principis, habuit. Africanū ſe nominauit, quòd ex Scipionum deſcenderet familia. In literis humanioribus benè verſatus, præter ampliſſimas facultates quas poſſidebat, ingenij moderatione, rerumque gerendarum dexteritate, id aſſecutus eſt: vt cum Proconſul in Africa eſſet, alij eum Scipionem, alij Catonem, Mutium, Rutilum & Lælium diceret Cum Maximinus propter tyrannidem odium ſibi maximū apud omnes conflaſſet, facta defectione militum in Africa, Gordianus iam octuagenarius, apud oppidum Thyſtrum, vnà cum filio, Imperator à militibus reluctans & inuitus, creatus eſt. Quæ res Senatui gratiſſima accidit, qui etiam ambos Auguſtos declarauit. Intereà Capelianus quidam, Imperium ſibi vſurpare cupiens, collecto exercitu, contra duos Gordianus profectus eſt: contra quem Gordianus filium ſuum Gordianum miſit. Pugna commiſſa, non modo Gordianus Iunior, rei militaris expers, interfectus: ſed & in exercitu tanta ſtrages edita eſt, vt Imperatoris cadauer diu quæſitum, vix inueniri potuerit. Quo nuntio accepto, pater cum modicas vires ſuas, Maximini magnas perpendiſſet, inſtantemque Capelianum, & raram fidem Punicam extimuiſſet, ne in manus hoſtium viuus perueniret, laqueo vitam finiuit. eodem Anno Chriſti 238.

Vixit Annos 80.

Imperauit..... M. 1. D. 6.

Sepultus Carthagine, & à Senatu conſecratus eſt.



33. *Oſtendent terris hunc tantum fata, nec vltra eſſe ſinent.*

IN auerſa parte nummi Imp. Gordiani Africani, conſpicitur figura mulieris ſtolatæ ſedentis, quæ eſt Dea Securitas: Adiuncta, inſcriptione ſequenti:

SECVRITAS AVGG. SC.

Notandum, quod duplex *G G.* in numero plurali Auguſtos ſignificat, & hic legendum: Securitas Auguſtorum. Nam Gordianus Senior filium ſuum Gordianum Iuniorem, Cæſarem & Auguſtum creauerat Securitas à Romanis in numero Dearum habebatur, variiſque modis in numiſmatibus figurata videtur. Plerunque ſedens in ſubſellio, brachio cubitali nixa, interdum caput ab occipitio dextra ſuſtentans, quaſi ſecurè quieſcens, vt in Neronis, M. Aureli, Philippi, &c. nummis videre licet.

Africani numiſmata perrara & cara ſunt.

34. D. CÆL. BALBINVS XXXIIII. ROM. IMP.

&

35. M. CLOD. PVPIENVS XXXV. ROM. IMP.

D. Cæl. Balbinus, & M. Clod. Pupienus, viri Conſulares, à Senatu, Maximino cum filio, iam hoſte proclamato, & Gordiano Afr. in Africa cæſo, Romæ Cæſares conſtituuntur. Qui cum plebi minus accepti viderentur, Gordianum III. Gordiani Afr. ex filia nepotem, etſi adhuc puerum, Senatus ſimul ad feſtigium Imperatorium adlegit, ita vt tres eodem tempore Romæ Auguſti eſſent.

BALBINVS, vir nobilitate familiæ, fortuniſque & clementia ſatis cognitus, vt Cæſari moribus compararetur. Vrbis adminiſtrationem ſuſcepit, cum Pupienus contra Maximinos copias duxiſſet, & tum maxima inter Prætorianos & populum fit ſeditio, ita vt potiſſima pars Vrbis incenderetur, templa fœdarentur, plateæ cruore polluerentur: nec turbæ ſedarentur, donec Balbinus Gordianum purpuratum ad populum produxiſſet, quo viſo, in concordiam rediêre.

35. PVPIENVS, quamuis homo nouus, per gradus tamen dignitatis ſatis illuſtris, tum grauitate & ſeueritate venerabilis, vt Catoni compararetur, Statura erat procerus, corporis qualitate ſaniſſimus, iuſtus, ampliſſimæ virtutis, ſed ſummæ tenuitatis. Cum ingenti exercitu miſſus eſt contra Maximinos, qui cum ad Rauennam bellum pararet, maximo apparatu, eo perferuntur eorum capita, quæ à Pupieno Romam tranſmiſſa ſunt. Tandem autem neque Balbini clementia, neque Pupieni ſeueritas profecerunt quicquam. Nam cum





34. *Bonis nocet, quiſquis pepercerit malis.*
35. *Multos timeat neceſſe eſt, quem multi timent.*

PArs auerſa Balbini Imp. nummi, duas dextras iunctas præ ſefert, inſcriptione iſtius modi:

FIDES MVTVA AVGG.

Vnde Virgilius:

Accipe, daque fidem.

& alibi:

Iunximus hoſpitio dextras.

Meminit Æn. Vicus in Iulio, Dextram Fidei Deæ conſecratã eſſe, aurem Memoriæ, frontem Genio, digitos Mineruæ, genua

clam inter ſe diſſentirent, vterq; à militibus occiſus eſt; ſub initium Iunij, ab V.C. 991. Ch.239.

Vixit { Balbinus Annos 60. / Pupienus An. 74.

Imperauerunt vna, An. 1. plus minus.

Sepulti........

Balbini atque Pupieni nummi ex omni genere metallorum difficilia repertu ſunt, quapropter cariſſimè venduntur.

Miſericor-

Miſericordiæ. Seruius in 1. Æneid. *Iungere dextras maiorum fuit ſalutatio, cuius cauſam adfert Varro, Callimachũ ſecutus, aſſerens, omnem eorum honorem dextra conſtitiſſe virtute, quam ob rem hac ſe venerabantur corporis parte.* Deſignat porro hic nummus idem quod ſequens, puta concordia & fide proſperitatem Imperij eſſe acquirẽdam. Lege deſcript. num. 60. Pupieni nummus hanc auerſam binis dextris quoque habet, adnexa inſcriptione: *Caritas mutua Augg.*

35. Pupieni Imperatoris nummus, præſefert Deam Concordiã ſtolatam, in ſubſellio ſedentem, dextrâ pateram, ſiniſtrâ duo cornuacopiæ habentem, cum inſcriptione:

CONCORDIA AVGG.

Id eſt: Auguſtorum (Pupieni & Balbini) concordia. Quâ innuitur, fore, vt quamdiu hi Imperatores Deam Concordiæ in honore habuerint, & vnanimiter Reipublicæ præfuerint, ipſis maxima fœlicitas (duobus Cornucopiis deſignata) quæque ex pace & concordia naſcitur, ſit euentura. Illud enim dic tum veriſſimum eſt:

Concordia parua res creſcunt, diſcordia maxima dilabuntur.

Hæc quoq; auerſa pars inter nummos Balbini ex ære reperitur.

36. M. ANT. GORDIANVS III. XXXVI. IMP.

M. Anton. Gordianus III. Senioris nepos, natus, vt plures aſſerunt, ex filia Gordiani, vel ex Gordiano, qui in Africa periit. Pupieno & Balbino interemptis, cum annum ageret decimum tertium, à Senatu populoque Romano cum maximo applauſu, Auguſtus appellatus, Imperiumque adeptus eſt. Ob pulchritudinem, bonoſque mores, adeò diligebatur, vt Senatus & milites eum filium, populus delicias ſuas appellaret. Duxit vxorem filiam Miſithei doctiſſimi viri, cuius conſiliis adiutus multa præclarè geſſit. Contra Perſas profectus, illos multis præliis vicit. Vide ex aduerſo. Terræ motus ſub eo contigit. Seditionem populi & militum, quæ tum maxima fuit, inſedauit, præterque ætatem nihil ei defuit. Miſitheo conſultore optimo, artibus Philippi ſublato, Gordianus Philippum in eius locum aſſumpſit, præfectumque & parentem appellauit: qui eius beneuolentiæ ac beneficiorum immemor, tantum artibus apud milites effecit, vt Gordiano quaſi tutor primum datus, Imperium vna cum eo adminiſtraret, & poſtea eo vſq; ſuperbia proceſſit, vt Gordianum neque Imperatoris, neque Cæſaris, neq; Præfecti, neque Ducis alicuius loco haberet. Cumque vt tantum viuere poſſet Imp. precaretur, clamantem, Philippus duci, & ſtrangulari iuſſit. Cal. Martij. V.C. 996. Ch. 245.

Vixit Annos 19. vel vt alij 22.
Imperauit An. 6. circiter.
Sepultus ſuper Euphratem, iuxta caſtrum Circea.
& Diuus appellatus eſt.

36. *Miſer*



36. *Miſer Imperator, apud quem vera reticentur.*

HOc numiſma, Gordiani III. exhibet Pontem ſuper nauigia fabricatum, quem tranſit Imperator cum militibus, præeunte Victoria, hac inſcriptione:

TRAIECTVS AVG.

Percuſſum fuit in gloriam Gordiani, poſt Victoriam & reditum eius in Vrbem ex Perſia. De Victoria ſic ſcribit Iulius Capitolinus in vita Gordiani III. *Gordianus aperto Iano gemino, quod ſignum erat indicti belli, profectus eſt cōtra Perſas cum exercitu ingenti, & tanta auri copia, vt vel auxiliis, vel militibus facilè Perſas vincere poſſet. Fecit iter in Mœſiam: atq; in ipſo procinctu quicquid hoſtium in Thracia fuit, deleuit, fugauit, expulit, atque ſubmouit. Inde per Syriam Antiochiam venit, quæ à Perſis iam tenebatur. Illic frequentibus prœliis pugnauit & vicit, Sapore Perſarum rege ſubmoto. Et poſt Artaxerxem Antiochiam recepit, & Carras* (vbi Abraham aliquando habitauit) *& Niſibin, quæ omnes Vrbes ſub Perſarum Imperio erant, &c.* De Iani templo aperiendo & claudendo, lege ſub nummo 2.

Huius Gordiani nummi magna copia reperiuntur.

37. M. IVL. PHILIPPVS XXXVII. ROM. IMP.

& filius eius.

38. M. IVL. PHILIPPVS XXXVIII. ROM. IMP.

INtellecto Gordiani exceſſu à Senatu, M. MARCIVS vir grauis & ſapiens Imp. deſignatur, qui ſubitanea morte in Palatio deceſſit. Tum à patribus *Seuerus Hoſtilianus* legitur, qui medicis malè venam ſecantibus occubuit. Strada in ſua Epitome theſauri Antiq. nummum *Hoſtiliani* poſuit. Sed Æneas Vicus (nel ſuo Diſcorſi ſopra li Medagli, lib. 2.) eum reprehendit & fictum iudicat, dicitque ſe habere verum numiſma. Goltzius autem in vita Cæſarum præſumit vtrumque erraſſe, & effigiem veri nummi, vt ipſi videtur, addit. Ideo, tũ quòd Hoſtilianus nihil memoriæ dignum egerit, eum ſciens, è ſerie Cæſarum excludo.

37. M. IVLIVS PHILIPPVS, Arabs, Vrbe Roſtris Arabiæ, ex ignobili genere, patre nobiliſſimo latronum ductore, ortus; virtute rei militaris clarus, cum Gordiano contra Perſas profectus, & ab eo, poſt obitum Miſithei, Præfectus Prætorij creatus, rerum ſecundarum inſolentiâ elatus, ad eam immanitatem deuenit, vt Gordianum de ipſo optimè meritum, cum miris artibus in odium militum adduxiſſet, per ſummum ſcelus interfecerit, Imperiumque arripuerit. Fœdere cum Perſis inito, non ſine Romani nominis dedecore, ad Vrbem contendit: & in itinere Philippum filium conſortem Imperij fecit.

38. Hic PHILIPPVS Iunior, adoleſcens adeo ad ſeueritatem & triſtitiam natura compoſitus traditur, vt à quinto ætatis anno, nunquam ad ridendum prouocari potuerit, patremque in ludis ſecularibus petulantius cachinantem, adhuc tener, vultu auerſo aſpexiſſe notatus ſit. Cum patre duodecimo ætatis anno occiſus eſt.





37. *Si violandum eſt ius, regni gratia violandum eſt.*
38. *Non eſt eiuſdem, & multa, & oportuna dicere.*

IN Philippi Senioris numiſmatis auerſa parte, repræſentatur Elephas cum ſeſſore puſione cum regente, hac inſcriptione addita:

ÆTERNITAS AVGG.

Id eſt: Vitam æternam & longam, S. P. Q. R. Auguſtis (patri & filio) optant. Elephas autem ex omnibus animalibus, longiſſimè viuit; puta ducentis & aliquando trecentis annis. Plinius teſtatur vterum geſtare decennio, Ariſt. biennio. Iuuenta eius ſexageſima

PHILIPPVS autem pater, poſt mortem Gordiani Senatui ſcripſit ipſum morbo extinctum eſſe, ſeque Imp. creatum ab exercitu. Decipienti Senatus credit, ipſumq; Auguſtum appellat. Sunt qui à Chriſtiana pietate non abhorruiſſe Philippum tradant, quorum teſtimonio hominis perfidia fidem abrogat. Anno Imperij ſecundo, aut, vt Onuphrius an. Imp. 4. 11. Cal. Maij, eo quod eſſet annus milleſimus Vrbis conditæ, ingenti pompa ſumptuque maximo, ſeculares ludos celebrauit, ſpectaculaque multa populo exhibuit; de quibus lege ſub auerſa parte. Scythis in ditionem Romani Imperij irrumpentibus, expeditionem contra eos parans, Marinum ducem Sarmatico exercitui præfecit: quo militari ſeditione oppreſſo, Philippus Decium cum ſupplemento copiarum eo miſit, qui à militibus Illyricanis Imperator electus, datis ad Philippũ clam literis promiſit, dignitate ſe abdicaturum, ad quam inuitus vocaretur. Motus ea re Philippus, expeditionem contra Decium parauit, eum cum toto exercitu ſcelerato ſe perditurum minitans. Veronam cum veniſſet, fraude Decij à militibus medio capite ſupra ordines dentium præciſo cum filio, interfectus eſt. Anno ab V.C.1002. Ch.250.

Vixit pater.......

Imperauerunt An. 5. M. aliquot.

Sepulti........

à Senatu cum filio inter Diuos relatus eſt.

xageſimo

xageſimo anno incipit. Anno Imp. Philippi huius quarto, quod in annum milleſimum ab V. C. incideret, ab eo & Senat. Ludi 9. Seculares in Circo Max. celebrati ſunt. Belluæ triumpho Perſico & his ludis à Gordiano adſeruatæ, hæ fuiſſe memorantur; Elephanti 32. Halces 10. Tigrides 10. Leones manſueti 60. Leopardi cicures 30. Hienæ 10. Hippopotamus vnus. Rhinoceros 1. Arcaleontes 10. Camelopardi 10. Onagri 20. Equi feri 40. Gladiatorum paria mille.

35. In Philippi Iunioris nummo exprimuntur 4. ſigna militaria, cum tali inſcriptione:

FIDES EXERCITVS.

Primum & vltimum ſignum eſt militare cohortis, quorum illud duabus pateris & bilance compoſitū eſt; quod ſequitur Aquila, tanquam in legione princeps Romanorum ſingulare ſignum; quam, cum Victoriæ Ioui in bello contra Titanes, dum cœlo ſacrificaret, auſpicium ei fuiſſet propitium, ac pro tam felici omine in ſignis bellicis ſimulacrum aureum haberi voluiſſet, tutelæque ſuæ virtuti dedicaſſet, Romani in militari ſigno ſuſceperunt, vt Fulgent. in Mithol. tradit. De hoc ſigno lege ſub auerſa parte nummi 5. Reſtans ſignum, dextra in ſublime, ſymbolum Fidei eſt; quo fides militum in Imperatorem & mutua concordia, exprimitur. Erat etiam ex ſignis cohortis, de quo Tacitus: *Centurionemque Siſennam dextras concordiæ inſignia, Syriaci exercitus nomine, ad Prætorianos ferentem, &c.*

Numiſmata Philippi patris ſatis extant. Filij autem, ex omni metallo ſunt cariſſima.

39. C. MES. Q. TRAI. DECIVS. XXXIX. IMP.

& filius eius.

40. Q. HER. ETR. MES. DECIVS. XL. IMP.

CNeus Meſſius Quintus Traianus Decius, Bubaliæ in vrbe inferioris Pannoniæ, claris parentibus natus, ad ampliſſimas dignitates, virtute ac moribus, non ambitione nec emptis ſuffragiis, peruenit. A militibus Illyricianis imperare coactus, & interfectis Philippis, Auguſtus à Senatu dictus, cuius iuſſu omnia egit. Ciuiles motus in Gallia ſedauit.

40. Q. Her. Etr. Meſſ. Decium filium, cogente Senatu, Cæſarem dixit, & conſortem Imperij declarauit. Ob vitæ præſtantiam omnibus charus, & in omnibus laudandus, ſi à Chriſtianorum ſupplicio abſtinuiſſet, in quos plurimum deſæuiit, adeoque crudelis fuit, vt publico edicto propoſitò, omnes Chriſti cultores necari iuſſerit. Eam tyrannidem vlciſci Deus voluit, quamobrem cum vna cum filio, aduerſus Gotthos, Thraciam infeſtantes, audacius quàm conſultius pugnaret, cum toto exercitu cæſus, corpuſque paludis voragine abſorptum, nec vſquam repertum eſt. Ante congreſſum, Diis immolauit, ad Abrittum Mœſiæ vrbem, inde nomen loco factum, & Decij ara appellatur.





39. *Auctoritas rerum gerendarum telum.*
40. *Timidi nunquam ſtatuerunt trophæum.*

DEus Genius ſeminudus ſtans in hoc numiſmate Traiani Decij conſpicitur, dextrâ tenens pateram (quæ rem ſacram ſignificat) ſiniſtrâ cornucopiæ: cum ſigno militari, hac inſcriptione annexa:

GENIVS EXERC. ILLVRICIANI.

Hic nummus, in gratiam militum Illuricianorum, qui Traianum Decium primò Imperatorem ſalutarunt, percuſſus eſt. Genius dicebatur à priſcis deus naturæ, & qui omnium rerum gignendarum vim haberet: hominique duos Genios aſſignabant,

Filius Q. Her. Etruſcus primo conflictu circa Philippopolim, ſagitta ictus, & primus Cæſarum hoſtili manu percuſſus, extinctus eſt Anno ab. V.C.1004.Ch.253.

Vixit pater Annos 50.
Imperauerunt Annos 2.M.6.
Corpora in conflictu amiſſa ſunt.

Tra. Decij numiſmata ex omni genere metallorum, vt magis tamen Her. Etruſci filij, rara & cara ſunt.

bant, bonum & malum. Etiam locis, vnde Propitio Genio, & ſiniſtro Genio dicitur. Quidam ipſam animam, vel Deum vel ſpiritum eſſe volunt. Genium apparuiſſe Imp. Cl. Iuliano Apoſtatæ, teſtatur Marcellinus, lib. 25. *Ipſe autem* (inquit) *ad ſolitam ſuſpenſamque quietem pauliſper protractus, &c. vidit ſqualidius proximi ſpeciem illam Genij publici, quem cum ad Auguſtum ſurgeret, viderat in Galliis velato capite cum cornucopia per aulæa triſtius incedentem.*

40. In auerſa parte nummi Q. Her. Etruſci, expreſſa eſt figura pataſiata Mercurij, ſeminuda, dextra crumenam, ſiniſtrâ Caduceum tenens, hac inſcriptione:

PIETAS AVGG.

Mercurius Deus eloquentiæ, cui in capite alæ attribuebantur: quo ſignificatum velocem ferri per aëra ſermonem. Ideò autem Deorum nuntius dictus eſt, quoniam per ſermonem omnia cogitata enunciantur. Crumena in dextra, pietatem aut liberalitatem deſignat. Caduceum autem virgam fuiſſe accepimus, quâ Mercurius ad diſcordias tollendas vtebatur. De draconibus verò Caduceo additis, hanc afferunt rationem: Mercurium cum hanc virgam manu tenens, duos ſerpentes pugnantes inueniſſet, virga interpoſita dicto citius prælium diremiſſe: quapropter Caduceum duorum ſerpentium ſimilitudine figurarunt. Hinc Caduceum ſymbolum pacis & cōcordiæ, diſciplinæ, ſapientiæ & felicitatis. De Mercurio hæc refert Tertullianus aduerſus Gnoſticos: Sed enim Gallorum Mercurium, Scytharum Dianam, Afrorum Saturnum, victimâ humanâ placari apud ſæculum licuit.

41. C. VIB. TREBVN. GALLVS XLI. ROM. IMP.

& eius filius.

42. C. VIB. VOLVSIANVS XLII. ROM. IMP.

C. Vibius Trebonianus Gallus è Patriciorum familia ortus, Mœſiæ Præſes à Decio conſtitutus, ab eo legioni Romanorum militum, quæ integra poſt cladem in Pannonia à Gothis editam remanſerat, Imperator, tanquam ſeruator reliquiarum Romani exercitus, electus fuit. A Senatu Auguſtus appellatus; fœdus cum Gothis turpiſſimum percuſſit, primus pacem ab eis mercatus Drachmis aureis Ducentis, ſumma cũ Romani nominis ignominia: qui cum ſe formidini eſſe intellexiſſent, rupto fœdere, Thraciam, Theſſaliam, Macedoniam, & Hellada infeſtarunt. Aſia non ſatis fuit tuta, & ne ipſa quidem Italia. Gallus Romæ agens, & in Chriſtianos ſæuiens, *C. Vibiũ Voluſianum* filium, qui nullam de ſe malè rectéve ſcribendi materiam reliquit, conſortem Imperij fecit. Sub eo ſæuiſſima peſtilentia ab Æthiopia orta, totum fere orbem peragrata, vix intra decennium ſopita eſt. Cæterum vbi Æmilianum ducem ſtrenuum ab exercitu, poſt rem contra Barbaros egregiè geſtam, Imperatorem ſalutatum fuiſſe accepit, vt dignitatem ſuam tutaretur, ad opprimendum Æmilianum cum filio profectus, in primo congreſſu, deſerentibus eum militibus ſuis, Æmilianoque adhærentibus, vnà cum filio interemptus eſt: Anno ab





41. *Præſtat habere acerbos, quàm ſuaues amicos.*
42. *Non omnino temere eſt, quod vulgo dictitant.*

IN Treb. Galli auerſa parte ex nummorū maxima forma (Medaglioni dicta) duæ figuræ equeſtres exhibētur, qui ſunt Imperatores Gallus & eius filius Voluſianus, cum militibus ſigna militaria ferentibus, præeunte Victoria, cum inſcriptione:

ADVENTVS AVGG.

Cuditur hic nummus in ſpecialem gratiam, & honorē Cæſarum patris & filij, cum Trebunianus in Vrbem veniſſet, & filium ſuum Voluſianum, Imperij conſortem feciſſet. Vſurpatur hic victoriæ figura, quamuis hi Imperatores nullam victoriam vnquam obtinuerint.

no ab V. C. 1006. Ch. 254.
Pater vixit Annos 47.
Imperauerunt An. 1. M. 6.
Sepulti........

Numiſmata Trebuniani G. facilius reperiuntur. Voluſiani F. autem difficilius.

42. Para

42. Pars auerſa Voluſiani Imp. exhibet figuram, ſtantem ſtolatam, quæ eſt Dea fælicitas, dextra Caduceo, ſiniſtro brachio columnæ innixa, & haſtam ſiue contum per tranſuerſum tenens, cum hac inſcriptione:

FELICITAS PVBLICA. S. C.

Poteſt hoc numiſma formatum fuiſſe in adulationem iſtius iuuenis Principis, quaſi S. P. Q. R. ab ipſo pacem & omnem felicitatem expectarent. Nam Caduceus pacis, concordiæ & felicitatis, apud veteres, typus fuit, vt ſuprà notaui.

43. C. IVL. ÆMILIANVS. XLIII. ROM. IMP.

C. IVlius Æmilianus,è genere obſcuriſſimo in Mauritania ortus,à pueritia militiam ſecutus & ob virtutem à Tra. Decio militis Sarmatici Dux factus,& à Gallo non ſubmotus Scythas iam inſolentes tot latrocinandi prædis contudit,illorum regiones penè exhauſit,& magna ex parte profligauit. Poſt victoriam in Miſiam reuerſus,militib. prædam diuidens adeo gratus exercitui fuit, vt Imperatorem eum creauerint. Ad hos motus opprimendos Treb. Gallus cum F. Voluſiano proficiſcitur, ſed vterque cæditur. Æmilianus Senatui ſcribens docet ſe Imp. lectum: promittit liberaturum Thracias & Meſopotamiam; atque Armeniam recuperaturum. Sed interea Alpini milites Valerianum virum Cenſorium, Imperatorem eligunt. Quo nuncio accepto, qui ſub Æmiliano fuere,generis humilitatem perpendentes & Valeriani nobilitatem,prætereà bellum ciuile,quo abſtinendum erat, Æmilianum interfecerunt apud Spoletum, Valeriano ſe tradentes, ſolo ducis capite res peracta,eodem Anno Chr.254.

Vixit Annos 40. circiter.
Imperauit...... M. 4.
Sepultus........



43. *Generoſitas Virtus, non ſanguis.*

IN hac auerſa parte apparet figura nuda, quæ eſt Apollinis, dextra ramum, ſiniſtra cytharam tenens, cum hac inſcriptione, in nummo argenteo:

APOL. CONSERVAT.

Aureus nummus habet: APOLLO Conſeruat. Huic Apollini cytharæ inuentionem tribuerunt, quæ ſeptem chordis muniebatur: qui numerus planetarũ numero conueniebat. Reperta eſt cythara, hac ratione Seruio teſte, cũ regrediens Nilus in ſuos meatus, varia in terris reliquiſſet animalia, relicta etiã teſtudo eſt; quæ cũ patefacta eſſet, & nerui eius remanſiſſent extenti intra corium, percuſſa à Mercurio ſonitum dedit, ex cuius forma per imitationem cythara compoſita eſt. Ramo oleæ veteres pro ſigno pacis vtebantur.

Æmiliani nummi pauci extant.

44. P. LICIN. VALERIANVS. XLIV. ROM. IMP.

P. Licin. Valerianus. Hunc Sex. Aur. Victor, fuiſſe Colobium cognominatum tradit. Stolidum item & inertem, neque ad vſum aliquem publicum, officio, concilio, ſeu geſtis commodū. Verum alij authores, nobili progenie ortum aſſerunt, Patre Valerio Flacco, vita & moribus laudato, ad omnes dignitatū gradus perueniſſe, & dignitatem in eo fuiſſe conſpicuam. Sub Decio factus eſt Cenſor voluntate Senatus, tandem ad Imperatoriam dignitatē euectus eſt. In principio Imperij magnus Chriſtianorum fautor, poſtea in hoſtem maximumq; Eccleſiæ perſecutorem mutatus eſt. Paſſi fuêre ſub eo, Cyprianus Carthaginenſis, Valentinus, Quirinus, Romanus, & Concordia. At innoxij ſanguinis Chriſtianorum vindictam poſtea grauem ſuſtinuit. Nam cum in Perſidem profectus eſſet, bellum Perſis illaturus, ductu cuiuſdam ſui Ducis, cui ſummam rerum concrediderat, in eam locorum anguſtiam, ſiue fraude, ſiue conſilio, deductus fuit, vt viuus in poteſtatem Saporis Perſarum regis deueniret: in qua ignobili miſeraq; ſeruitute, apud Parthos conſenuit, tam indignè tractatus, vt Rex Sapores equum conſcenſurus, pedem ceruicibus eius imponens, eo pro ſcabello vteretur; eumque ad extremum, cute à ceruicibus, ad imos vſque pedes detracta, crudeliſſimè necauerit. Captus eſt Anno ab V.C. 1003, Ch. 261.

Vixit Annos 70. circiter.
Imperauit An. 7. plus minus.
Funeratus in Perſide.
inter Diuos à Senatu relatus eſt.



4 4. *Amicum inimicum fugito.*

LIcini Valeriani nummus exhibet Dianam cum cane venatico, arcu, pharetraque, & arborem, cum inſcriptione huiuſmodi:

ΕΦΕΣΙΩΝ ΑΡΤΕΜΙΣ.

Id eſt: EPHESIORVM DIANA. Apparet ex hac inſcriptione numiſma Epheſi formatum fuiſſe, vbi Diana, huius Ciuitatis Dea, templum illud famoſum & ſumptuoſum habuit. De templo ſic Plinius: *Græcæ magnificentiæ vera admiratio exſtat templum Epheſiæ Dianæ, 220. annis factum à tota Aſia. In ſolo id paluſtri fecere, ne terræmotus ſentiret, aut hiatus timeret. Rurſus ne in lubrico atq; inſtabili fundamenta tantæ molis locarentur, ante calcatis ea ſubſtrauere carbonibus, dein velleribus lanæ. Vniuerſo templo longitudo eſt 425. pedum, latitudo ducentorum viginti. Columnæ centum viginti ſeptem à ſingulis regibus factæ, ſexaginta pedum altitudine. Ex his 36 cælatæ.* & in alio loco: *Conuenit tectum eius (templi) eſſe è cedrinis trabibus. De ipſo ſimulacro Deæ ambigitur, alij ex hebeno eſſe tradunt, &c.* Arboris typus deſignat, Dianam Deam ſyluarũ & nemorũ eſſe.

Nummi Valeriani ſunt rari.

45. P. LICIN. GALLIENVS. XLV. ROM. IMP.

& filius eius,

46. SALON. VALERIANVS. XLVI. ROM. IMP.

&

47. POSTVMVS. XLVII. ROM. IMP.

P Licinius Gallienus, Valeriani Imperatoris filius, omnibus artibus clarus, primum Cæſar, deinde Auguſtus à patre appellatus eſt, cui & Imperium commiſit, cum contra Perſas copias duxiſſet. Initio multa præclarè geſſit. Affuit ei animi vigor, & ad ſe vlciſcendum audacia. Nec minus in eo liberalitatis effulſit, cum nihil vnquam petēti denegaret. In Chriſtianos paulò mitior fuit. Capto à Perſis patre, cum multi eius infortunio ingemiſcerent, ipſe propter viuendi licentiam lætatus eſt, & excuſſo iugo paterno, ſe totum vino, mulierculis, popinis, lenonibus, mimis dedit, vt Caligulæ ac Vitellio ſimillimus videretur, & nequiſſimus omnium mortalium. Vnde orbem terrarum Romanis, pene perdidit; externis hoſtibus adeò inſultantibus, vt fœminæ Imperium in eius contemptum occuparent, & ſuo tempore XXX. Imperatores Tyranni, vnuſquiſq; à ſuo exercitu eligerentur. Hi Rempub. tot tantiſque ciuilibus bellis, hinc inde ortis, afflictam, miſerrimè & magis afflixerunt quàm hoſtes, vt deinceps vix ſpes fuerit aliqua Imperium reſarciendi.

46. Filium Imp. SALON. VALERIANVM, in locum Cornelij Valeriani filij in iuuenta mortui ſubrogauit, & Cæſarem declarauit, de quo nihil memorabile ſcribitur, vt qui puer decennalis à patre M. Coſſ. Latieno Poſtumo, Galliæ præſidi, ad inſtituendum in Galliam miſſus, ibi à Gallis, nec patris laſciuiam, nec filij pueritiam ferentibus, interemptus ſit. Eo interfecto Poſtumum Imp. Auguſtum dixerunt.

47. Hic







45. Omnia decreſcunt vbi, quo creſcant, non habent.

46. Magnus,

47. Hic POSTVMVS erat Romanus, & bellicoſus, & inter XXX. tyrannos numeratur: tamen à Goltzio & aliis in ſerie Imperatorum ponitur: quapropter & ego eum addidi. Vir erat qui locum principis iure merebatur, Galliæ per 7. Annos vt Imperator præfuit, & ſe præclarè in eo munere geſſit. Erga eum magnus amor Gallicæ gentis fuit: nam ſubmotis Germanis, Romanum in priſtinam ſecuritatem reuocauit Imperium, & Francos, qui Galliam Belgicam inhabitabant (de qua lege eius partis auerſæ deſcriptionem) ſibi aſciuit. Tandem, ab iiſdem nouarum rerum cupidis, agente Lolliano apud Moguntiam, vnà cũ filio ſuo interfectus eſt. An. ab V.C. 1020. Ch. 268.

Cum autem Gallienus tandem aduerſus Aureolum, (qui à militibus Illyricanis Imperium contra Gallienum coactus eſt ſumere) comparato exercitu, Mediolanum vſque contendiſſet, cum fratre P. Licin. Valeriano, qui à Gallieni diſſolutione ſeiũctus erat, ad pontem Aureolum interfectus eſt. 12. April. V. C. 1020. Ch. 269.

Vixit circiter An. 50.
Imperauit ſolus An. 8.
Sepultus ....

Sequuntur XXX. *Tyranni.*

1. Cyriades, in Syria Auguſtus appellatus.
2. D. Lælius Ingennuus, in Pannoniis.
3. Odenatus, in Syria Auguſtus declaratur.
4. Zenobia eius vxor, poſt obitum mariti.
5. Herodes filius, à patre Imp. dictus.
6. M Acilius Aureolus, in Illyrica.
7. M Ful. Macrianus, in Aſia.
8. Q. Ful Macrianus, eius filius, idem.
9. Ful. Quietus, idem filius.
10. Ser. Anicius Baliſta in Aſia.
11. P. Valerius Valens, in Macedonia.
12. L. Calpurnius Piſo, in Theſſalia.

46. *Magnum, ſatellitum amor.*
47. *Fortes fortuna formidat.*

IN auerſa parte Gallieni conſpicitur figura ſtans ſtolata, capite turrito, dextra ſignum militare tenens, ſiniſtrum verò pedem roſtro nauis, & columnæ in qua eſt Victoriola figuræ ſertum imponens, cum inſcriptione tali:

COL. IVL. AVG. FEL.

Id eſt: Colonia Iulia Auguſta felix. Hic nummus Beryti, in vrbe Cœle Syriæ, cuſus eſt, in quam Cæſar coloniã duxerat: Colonia Iulia Felix, & poſtea Auguſta, ab Auguſto dicta. Lege Vicum, in nummo 42. Iulij. Figura turrita ſtante, hæc Colonia deſignatur: Victoriolâ, Cæſar. Signum militare, ſymbolum Coloniarum eſt. Colonia erat oppidum, in quo Rom. Magiſtratus ex Vrbe ciues traduxerant. Quum in Vrbe multi ex incolis paupertate premerentur, adeò vt cenſui ſoluendo non ſufficerent. III. Viri à Senatu creati, eos qui in nouam Coloniam deduci vellent, obſeruabant: ſicque Vrbs pauperibus exonerabatur, & rei familiaris pondere grauati, ad nouas, quibus indigerent, diuitias gratis datas cum familia accedebant. Accipiebant enim duo, quatuor, ſex aut ſeptem agri iugera, & quandoque plura. Porrò duo fuerunt coloniarum genera, Romanæ & Latinæ: omnes conſtabant è ciuibus, Romanis, in eas exeuntibus. Romanæ dicebantur eæ, quæ iura ciuitatis Romanæ habebant. Latinæ, quæ iure Latij fruebãtur, quod infra ius erat Romanũ.

46. Salon. Valeriani auerſa pars, exprimit Aquilam, figuram vehentem, quæ ſceptrum tenet, hac inſcriptione:

CONSECRATIO.

Figurâ inſidente Aquilæ, Imperatoris deſignatur anima, quã ab Aquila, Iouis miniſtro, fingebant in cœlum vehi. Sceptrum quod manu tenet, Deorum inſigne proprium eſt. Quo ſubiicere voluerunt, Imperatorem iam inter Diuos eſſe relatum. Nos, in auerſa parte nummi 16. deſcripſimus rogum funeralẽ, in quo ſtatua Imperatoris defuncti comburi ſolebat. In ſummitate rogi, collocata erat Aquila viua, quæ aliquandiu artificioſè detenta, incenſo Rogo, tandem auolabat: quo facto, erant qui affirma-

13. T. Ceſt. Iul. Æmilianus, in Ægypto.
14. Poſtumus cum filio, de quibus iamiam diximus.
15. Q. Nonius Regilianus, in Ægypto.
16. Sex. Iul. Saturnius, in Iſauria.
17. C. Annius Trebellianus, in Africa.
18. T. Corn. Celſus, in Africa.
19. Claud. Cenſorinus, in Italia.
20. Herennianus }
21. Timolæus } Odenati filij, in Syria.
22. Vaballathus }
23. Mæonius, in Oriente.
24. Sp. Seru. Lollianus, in Gallia.
25. A. Pomponius Ælianus, in Germania.
26. M. Aureolus Victorinus, in Gallia.
27. L. Aur. Victorinus, eius filius.
28. M. Aur. Marius, in Gallia.
29. P. Piues Tetricus, in Gallia.
30. C. Piu. Tetricus, eius filius.

Hic notandum, numiſmata à Iul. Cæſ. ad Galienum, ab antiquariis anteriora dici, ſequentia verò poſteriora. Forma etiam æreorum numiſmatũ à Valeriano patre Gallieni mutatur: cum præcedentia ferè ex tribus magnitudinibus reperiantur. Qui nummi Italice Medaglione nuncupantur, maioris eſt: Medaglia vero mediocris, eius puta cuius fere ſunt hæ noſtræ imagines. Mezana denique minoris formæ ſunt. Sed à Valeriano deinceps omnes ferme ærei nummi minima ſunt forma; & parum maiore quam argentei. Habentur tamen Poſthumi, Maximiani, Maximi, Conſtantini Max. & aliorum nonnullorum maiori forma. Inde à Philippi temporibus argẽtei nummi minus ſunt probi: & cunei deformes, adeo vt ars cudendi, cum Imperij dignitate, paulatim interciderit.

firmarent, ſe vidiſſe animam Imperatoris ab aquila in cœlum delatam fuiſſe.

47. In Poſtumi auerſa parte cernitur figura Imperatoris ſtans, dextra libellum, aut vt aliis placet fulmen, ſiniſtra verò haſtam tenens, cui victoria, ſiniſtra palmam gerens, à tergo dextra lauream imponit Eſtque adſcriptum:

VIC. GERM. P. M. TR. P. V. COS. III. P.P.

Quod eſt: Victoria Germaniæ, Pontifex Maximus, Tribunitia poteſtate quinquies, Conſul ter, pater patriæ. Hunc nummum in gratiam Poſtumi formatum fuiſſe ſatis conſtat, cum ipſe Gallis præeſſet, & à Germanis victoriam illam memorabilem obtinuiſſet. Fertur tūc temporis Francos (qui olim Sicambri, poſtea Menapij dicti ſunt) ad eum locum cōſediſſe, vbi mari Rhenus influit: Hos, etſi bellicoſiſſimi eſſent, ſubegit Poſtumus, atque Imperium apud eos, cis & trans Rhenum, decennio poſſedit. Fluuius Rhenus à poetis Bicornis dicitur, & extat nūmus Poſtumi, Rheni bicornis ſimulachro humi iacente, qui proculdubio poſt hanc victoriam cuſus eſt. Vnde Virgilius:

Extremique hominum Morini, Rhenuſque bicornis.

Hic Seruius: *Rhenus bicornis dicitur, quia per duos fluit alueos: per vnum quo Romanum Imperium eſt, per alterum interfluit barbaros.* Tunc enim & Franci & Germani inter barbaros à Romanis reputabantur. De Francorum origine lege ſub nummo 117.

Numiſmata Galliani multa reperiuntur. Salon. Valeriani ſunt rara. Poſthumi ſatis extant.

48. M. AVR. CLAVDIVS. XLVIII.

M. Aur. Claudius Gothicus, è Dalmatis vel Dordaniis oriundus, vir integerrimæ vitæ, morum grauitate inſignis, & in quo magnorum principum dotes, Traiani virtus, Antonini pietas, Auguſti moderatio emicuêre. Staturæ erat proceræ, oculis ardentibus, vultu lato, digitisque adeò robuſtis, vt ſæpe equis & mulis ictu pugni dentes excuſſerit. Amauit parentes, fratres & propinquos: inuidit nulli. Malos perſecutus eſt. Militaribus virtutibus maximè clarus, ſub Decio & Valeriano. Gallieni morientis ſententia Imp. eſt deſignatus. Imperium adeptus, leges optimas condidit; Daciam recuperauit; Gotthos & Sarmatas, inſigni clade contriuit; & nauali pugna apud Danubium oppreſſit. De ea ad Senatum literas his verbis ſcripſit: *Deleuimus trecenta viginti millia Gothorum, duo millia nauium ſubmerſimus. Tecta ſunt flumina ſcutis, ſpatis & lanceolis littora omnia operiuntur; campi oſſibus latent tecti, nullum iter purum à fœtore cadauerum. Omnes prouinciæ ſeruis, captiuiſque Gothorum ſcatent.* Romam triumphans ingreſſus, Gothicus appellatus eſt: Illum & Senatus & populus ante Imperium, in Imperio, & poſt ſic dilexit, vt in Capitolio ei auream ſtatuam, & clypeum votiuum aureum collocauerit. Princeps ob egregias animi dotes, vita longiore dignus, cum in morbum incidiſſet, eo ingraueſcente, nulla ſobole relicta, maximo omnium luctu, Syrmij mortuus eſt. Nonis Febr. V.C. 1022. Ch. 271.

Vixit Annos........
Imperauit An. 1. M 10. D. 15.
Sepultus........
Inter Diuos relatus eſt.

Claudij nummi ex ære & auro multi reperiuntur.



48. Quod, dum priuatus eram, nec leges curabam, abſtuli: hoc factus Imperator reſtituo.

NVmmus Claudij II. repræſentat Annonæ figuram, quæ eſt Ceres ſtolata, ſtans, dextra 3. ſpicas, ſiniſtra Cornucopiæ habens, hac inſcriptione adnexa:

ANNONA AVG.

Ceres pro Dea à veteribus ideo (vt videtur) habebatur, quod frugum & cultus terræ inuentrix fingerentur. Eadē & Theſmophoros dicta eſt: hoc eſt, legum latrix, quia antequam agriculturæ vſum docuiſſet, homines nulla lege viuebant. Poſtea verò eius beneficio, monſtrato vſu frugum, cœptum eſt de agrorum finibus (qui antea nulli erant) diſceptari. Hanc primam volũt fuiſſe iuris & legum originem. Dicitur autem Ceres (vt ſcribit Cicero) à gerendis frugibus, caſus prima litera immutata. Annona autem ab anno, quaſi annalis alimonia dicitur. Solebant Imperatores ipſi habere curam vt copia frumenti ſuppeteret, quod tempore Annonæ Romæ inter populum diſtribuebatur, vt ex variis nummis, apud Ant. Auguſtinũ, conſtat. In illis plerumq; nauis & menſura modij iuxta figuram reperitur, quibus deſignatur, Romam nauibus, ex aliis prouinciis vt Sicilia, Africa & Hiſpania, ingentem frumenti & tritici copiã peruectam fuiſſe. Torrentius in Sueton. ſcribit: Quod cuiuſque menſis Nonis, frumentum populo diuidebatur.


49. C. M. AVR. QVINTILLVS. XLIX. ROM. IMP.

C. M. Aurelius Quintillus, Claudij Imperatoris frater, morum ſuauitate, bonitateque illi nihilo inferior, ob egregias virtutes, poſt mortem fratris, à Senatu Cæſar Auguſtusque appellatus eſt. Poſtquam intellexit Aurelianum ab exercitu Imperatorem creatum, cum ſe longè imparem videret, vt eius ducis conatibus obſiſteret, qui tanto militum conſenſu fuerat ad eam dignitatem aſſumptus, ignominiæ metu ductus, venas ſibimet incidit, & voluntariè, duobus liberis relictis, occubuit. Nonnulli affirmant à militibus facta conſpiratione interemptum, quibus ſe duriorem exhibuerat. 10. Cal. Mart. eodem Anno Ch. 271.

Vixit.......
Imperauit...... Dies 16.
Sepultus.......

Quintilli nummi rare & plerunque ex argento tantum extant.

49. *Honeſta*



49. Honeſta turpitudo, mori pro bona cauſa.

IN Quintilli Imperatoris auerſa parte, expreſſa eſt figura militaris ſtans, dextra tenens ramum oliuæ (ſignum pacis) ſiniſtra haſtam, & eſt adſcriptum:

MARTI PACIFERO.

Romani duo templa Martis habuêre, Paciferi & Bellatoris. Cum tranquillus & pacificus erat Mars, Quirinus dicebatur, & eius templum erat in ipſa Vrbe. Martis verò Victoris, Bellatoris, & Gradiui extra Vrbem in via Appia, Martisq; Vltoris dicebatur, de quo lege ſub num. 55. Qua ratione Romani innuere voluerunt, quantum pax bello eſſet anteponenda. Etiam iniquiſſima *pax* (inquit Cicero) iuſtiſſimo bello eſt anteferenda. Et Liuius: Melior eſt tutiorq; pax certa, quam ſperata victoria. Idem alibi habet, pacem etiam colendam eſſe ab iis, qui vincere poſſunt. Et poeta:

Pace frui quando fas eſt, ſed Marte carere:
Nam pacem quærit rex quoque Marte bonus.

Vnde D. Auguſtinus: Neq; enim quæritur pax, vt bellum exerceatur, ſed bellum geritur vt pax acquiratur.

50. VAL. AVRELIANVS L. ROM. IMP.

VAl. Aurelianus Syrmij ex Dacia familia obſcuriore ortus, cuius mater ſacerdos templi Solis fuerat, princeps magis neceſſarius quam bonus, dignus certè qui Claudij prærogatiua Remp. tum adflictam, ſuſciperet. In adoleſcentia nullam fertur diem prætermiſiſſe, qua ſe variis armorum generibus non exerceret. Truculentus & ſanguinarius, vbi res poſcebat fuit. Sarmatas in Illyrico vna die quadraginta & octo ſua manu interfecit. Apud Moguntiam cum Tribunus legionis ſextæ Gallicanæ eſſet, Francis in Galliam irruentibus fortiter reſtitit. Milites in tãto habuit terrore, vt ſub eo nemo peccarit, nouumque ſupplicij genus in militem adulterum excogitauit. Marcomanni circa Placentiam, tantã edentes ſtragem, vt Romanum penè ſolueretur imperium, ab eo ſuperati ſunt. Gothos trans Danubium vicit, & Ducem eorum interemit. Thyanam cepit vrbem & Palymiram. Etſi verò Heraclamonis beneficio Thyanam recepiſſet, tamen eum occidi paſſus eſt. Quomodo (inquiens) mihi fidem ſeruaret, qui patriæ non pepercit? Zenobiam reginam, de qua in auerſa parte, magno prælio vicit. Tetricum in Galliis Imperatorem creatum, ſponte ſe cum exercitu tradentem ſuſcepit, eumque ac Zenobiam ducens, ſpecioſiſſimum Romæ triumphum egit: leges plurimas & ſalutares ſanxit. Populo dona diſtribuit: Templum Solis fundauit: Pontifices roborauit; contraque Chriſtianos perſecutionẽ mouit. Per Illyricum contra Perſas pugnaturus, iter faciẽs apud Zenophorium, inter Heracleam, & Byzantium, malitia notarij ſui interemptus eſt: alij fulmine percuſſum interiiſſe ſcribunt. 4. Cal. Feb. 1027. Ch. 276.

Vixit Annos.
Imperauit An. 4. M. 11. D. 7.
Sepultus........
Inter Diuos relatus.

Interregnum fuit, Menſ. 7. D. 28.



50. Sublimius eſt regere aliquam Italiæ partem, quàm trans Alpes regnare.

VAL. Aureliani numiſma præfefert figuram Solis orientis radiatam, ſtantem inter duos captiuos humi deſidentes, tenentemque ſiniſtrâ globum, hoc adſcripto Emblemate:

ORIENS AVG.

Formatum fuiſſe hunc nummum poſt illam magnam victoriam, quam Aurelius in Oriente de Regina *Zenobia* obtinuerat, ſatis cōiecturari poteſt. Hæc illuſtris fœmina poſt regis Odenati mariti ſui mortem, Romanum Imperiū Orientis accepit, tempore Gallieni, quo XXX. tyranni orbem vſurparunt, inter quos & ipſa numeratur, virilique animo Syriam & Palmirenos, cum filiis Annos 6. rexit. Regali pompa, Perſarum ferè modo adorabatur. Ad conciones galeata procedebat, cum lymbo purpureo, gemmis dependentibus. Voce erat arguta, caſtiſſima, moribus ſeueris, Græci, Ægyptij & Latini ſermonis peritiſſima. Tandem ab Aureliano apud Emeſam maxima conflictatione ſuperata, ab ipſo in triumpho Romæ ducta fuit: eique principis clementia Tyburtæ poſſeſſio conceſſa, vbi honeſte ageret. Figura autem radiata exprimit templum Solis, quod in Emeſa, cum victoria potitus eſſet Imperator, donariis ingentibus, vt & Romæ ædificauit. Captiui duo ſunt Zenobia & Zaba.

Numiſmata Aureliani ex auro & ære ſatis multa reperiuntur.

51. M. CL. TACITVS. LI. ROM. IMP.

M. Cl. Tacitus vir ordinis Senatorij, poſt 7. menſium interregnum, quo milites ad Senatum, Senatus vero ad milites, Imperatoris eligendi munus reiiciebat, inuitus & ſenectute valetudineque ſe excuſans, Imperator eligitur à Senatu: nam cum neminem, aut iuſtius, quàm grauem virum, aut prudentius, quam doctum imperare poſſe cenſuiſſet, Tacitum, vtpote dotibus iis ornatum, hoc loco digniſſimum iudicauit. Aſſumpto Imperio ex ſententia Senatus, omnia Reip. commoda procurauit. Pecuniam, quam domi collegerat, in ſtipendium militum erogauit: domum ſuam demolitus, Thermas publicas priuato ſumptu conſtruxit. Cornelium Tacitum parentis loco habuit. Princeps literis adeò deditus, vt nullam diem, in qua non aliquid ſcriberet, aut legeret, intermittere voluerit. Vitæ fuit parciſſimæ: tunicis iiſdem in Imperio vſus, quas priuatus geſſerat. Tandem inſidiis militaribus necatur; vel, vt alij tradunt, febre correptus interiit. Idib. April. V. C. 1028. Chr. 277.

Vixit Annos 75.
Imperauit...... M. 6. D. 20.
Sepultus.......
Inter Diuos relatus.

51. *Malus,*



51. *Malus, qui ſua cauſa bonus.*

IN numiſmate Imperatoris Taciti, impreſſa eſt figura Deæ Lætitiæ, ſtolata, ſtans, dextra corollam, ſiniſtra temonem aut ſunale tenens, cui addita ſunt hæc verba:

LÆTITIA FVND.

Cæſo Aureliano, & Senatus & milites Imperatorem eligere recuſabant. Nam miles ad Senatum, Senatus ad militem hanc prærogatiuam deferebat. Propter electionem, tot ſimul Imperatorum, puta XXX. (vt dictum eſt) eodem ferè tempore electorum, tantæ confuſionis exortæ ſunt, vt multi ciues, plurimi præſtantiſſimi principes, Duces & milites, extincti ſint. Hinc etiam interregnum menſium ſeptem, antequam hic Tacitus à Senatu, militari conſenſu Imperator diceretur Eo vero tandem electo publicum gaudium exortum eſt, adeo ut literas Senatus ad Municipia Italiæ ſuper ea re dederit. Tum igitur hic nummus cuſus eſt cum S. P. Q. R. vera *Lætitia Fundata*, & gaudium eſſet. Coronula ſiue Corolla, quam hæc figura dextra gerit, ſignum eſt Lætitiæ. De Corolla lege ſub nummo 113.

Taciti numiſmata ex argento paucà, ex auro aliqua, ſed ex ære plus extant.

52. M. ANNIVS FLORIANVS. LII. ROM. IMP.

M. Annius Florianus, Taciti Imperatoris frater germanus, mortuo fratre, imperandi ſeadeo cupidum oſtendit, vt nec Senatus, nec militum, ſed propria auctoritate, quaſi hæreditarium eſſet Imperium, principatum arripuerit. In quo nihil memorabile geſſiſſe perhibetur: cum id non diuturnum fuerit. Nam poſteaquam intellexit Probum regnare, quem exercitus, tamquam virum imperio dignum elegerat, cum ſe tuto nullibi conſiſtere poſſe animaduertiſſet, manus ipſemet ſibi iniecit, venisque ſolutis occubuit. 5. Non. Iulij, eodem Anno Ch. 277.

Vixit Annos.......
Imperauit...... M. 2. D. 20.
Sepultus.........

53. Qui



52. *Qui vni facit iniuriam, multis minatur.*

IN numiſmate Floriani Imp. tres depictæ ſunt figuræ ſtolatæ, quæ ſunt Deæ Monetæ, in dextris bilances, ſiniſtris verò Cornuacopiæ habentes, cum inſcriptione:

MONETA AVG.

Hæ tres figuræ indicant tria metalla, ex quibus Moneta formatur, quæ interdum tribus literis in numiſmatibus exprimũtur, ſcilicet A. A. A. *Aurum, Argentum, Æs*, id quod his tribus colliculis metallorum, qui ante pedes figurarum conſpiciuntur, etiam deſignari videtur. Cornuacopiæ abundãtiam & diuitias demonſtrant. Bilances autem, monetam iuſto pondere & valore conſtare debere. Idcirco moneta in aliquibus nummis (vt in Val. Maximiani, Conſtantij I, Seueri, &c.) ſacra dicitur, eadem ratione quâ olim ſtante Rep. Tribunus plebis ſacer & ſacroſanctus dicebatur, & ab omnibus ſub capitali pœna habebatur. Similiter cum Moneta inuiolabilis ſit, pœna in eos grauis conſtituta eſt, qui illam adulterant, corrumpunt aut diminuunt. Vide le Poix.

Et Floriani nummi rariſſimi ſunt.

53. AVR. VAL. PROBVS. LIII. ROM. IMP.

AVre Vale. Probus, ex ciuitate Syrmienſi Pannoniæ ortus, patre Maximo ignobili & agreſti, matre verò nobiliore. Imberbis propè Valeriano volente, Tribunatum meruit. In Aphrica fortiſſime Marmaridas vicit, contraque Palmyrenos Aureliano fuit auxilio, ubi penè captus occubuiſſet. Poſtea ab omni orientali exercitu, Tacito cæſo, inuitus ad Imperij munus venit. Gallias turbatas & à Germanis poſſeſſas recuperauit, de quibus lege auerſam partem. Sarmatas & Getas, aut in deditionem, aut amicitiam recepit. Ad Orientem ſe conuertens omnia compoſuit, Saturninumque Tyrannum oppreſſit, & Proculum & Bonoſum apud Agrippinam Galliæ, imperium cum arripuiſſent ſuperauit. Tyrannos Imperio inhiantes, omnes planè ſuſtulit. Vineas Gallos & Pannonios habere permiſit. Tandem in bellum Perſicum iter parans, celebri illa voce, qua innuebat, Annonam gratuitam militem commedere non debere, cum odium maximum apud milites ſibi comparaſſet, quod eos toto fere orbe ſubiugato, vbi hoſtes deeſſent, amplius iam neceſſarios minime fore iactitaſſet, apud Syrmium in turrim ferratam fugiens ab eiſdem occiſus eſt, 4. Non. Nouemb. V. C. 1034. Ch. 282.

Vixit annos..............

Imperauit an. 5. M. 4.

Sepultus in Patria, Syrmy.

53. *Anno-*



53. *Annonam gratuitam miles comedere non debet.*

PRobi Imperatoris pars auerſa præſefert, Tropheum in trunco erectũ, in quo ſagum, clypeus, aliaq; arma, & in vertice galea impoſita eſt. Vtrinque habet captiuum Germanum, & inſcriptionem huiuſmodi:

VICTORIA GERM.

Hic nummus poſt memorabilem victoriam Probi de Germanis, percuſſus fuit, cum 60. ciuitates ab ijs occupates in Gallijs recepiſſet. Regulos nouem ad pedes proſtratos vidit, obſidumque loco XVI. millia tyronum accepit. Hoſtium 40. mille cecidit. Septuaginta vrbes à captiuitate hoſtium vindicauit; de quibus etiam Romam reuerſus triumphauit. Sagum in trophæo huius numiſmatis, ſatis arguit, hoc indumentum militare, non tantum Romanorum, ſed etiam Germanorum fuiſſe: quod & Tacitus de Morib: Germa: teſtatur.

Numiſmata huius Imp. multa reperiuntur.

54. M. AVR. CARVS LIV. ROM. IMP.

& filius eius.

55. M. AVR. NVMERIANVS. LV. ROM. IMP.

M. Aur. Carus inter bonos magis quam malos collocandus princeps, & multò melior fuiſſet, ſi Carinum nō reliquiſſet hæredem. Genus traxit è Romano ſanguine. Sunt tamē quibus placet Narbonæ in Gallia natum fuiſſe. Præfecturâ Prætorianâ à Probo donatus, gratiâ militum & Senatus, ei etiam ſucceſſit. Initio Principatus in percuſſores Probi Imp. ſeueriſſimè animaduertit. Liberos ſuos Carinum & Numerianum, Cæſares nuncupauit. Bello Perſico, quod Probus ſuſceperat, vnà cum filiis continuando intentus (cum Sarmatiam iam in Pannonia cōfeciſſet, & ſedecim Barbarorum millia deleuiſſet, viginti millia cœpiſſet) recepta Meſopotamia, Cteſiphōtem peruenit: Perſas inter ſe dōmeſtica ſeditione laborantes inuenit. Caſtris ſuper Tygridem poſitis, in maxima rei benè gerendæ expectatione, ictus à fulmine interiit. An. ab V. C. 1035. Ch. 284.

Vixit Annos.......
Imperauit An. 1. M. aliquot.
Sepultus.......
Inter Diuos relatus.

55. NVMERIANVS, iunior Cari filius; Cæſar, miles, poeta & orator celeberrimus: ſtatuâ in bibliotheca Vlpiana ex S. C. decoratus. Comes patri bello Perſico, quo mortuo oculis ex mœrore laborauit. Dumque lectica portaretur, factione Apri ſoceri, qui imperium ambiebat, clam occiſus, nec prius quam cadaueris fœtore, ſcelus detectum fuit. Aper à Diocletiano inuaſus, mox iugulatus eſt. Eodem Anno quo pater obiit. Ch. 284. Imperij quod cum patre & fratre adminiſtrauit An. 1. M. aliquot. Fertur Numerianum Cyrillum Antiochiæ Epiſcopum





54. *Bonus dux, bonum reddit comitem.*
55. *Quod videri vis, eſto.*

IN auerſa parte Imperatoris Cari, conſpicitur figura muliebris ſtans, vtraque manu tenens ſignum militare, hac inſcriptione addita:

FIDES MILIT.

Fides militum, quæ hîc vt plerunque in omnibus numiſmatibus, ſignis militaribus deſignatur, cum in iis ſacramentum fidelitatis præſtarent milites. Vide de ſignis his plura ſub num. 38. Hæc mulier tenens ſigna eſt Dea Fides, cuius typus variis modis ab Ant. Auguſtino exhibetur. Interdum manibus iunctis,

manu propria interemiſſe, quod eum templum Chriſtianorum ingredi cupientem, aditu vir ſanctus prohiberet, dicens: Diuinorum myſteriorum aſpectu eum indignũ eſſe, qui idolorum ſacrificiis contaminatus, in tanta erroris caligine verſaretur.

Cari & Numeriani nummi ſunt cari.

ctis, vt in Vitellij, Veſpaſiani & Balbini, & in num. 34. Aliquando cum turture, qui conſorti fidelis eſſe dicitur: vt in nummo Elagabali & Alexandri. Fides, vt Cicero ait, dictorum conuentorumque conſtantia eſt, & veritas, & ex eo ſic nominata, quia fiat id, quod dictum eſt Horatius rectè:

Iuſtitiæ ſoror incorrupta Fides.

55. In Numeriani Imp. auerſa parte, exſculptus eſt Mars, dextra haſtam, ſiniſtrâ ſpolia humero ferens: & eſt adſcriptum:

MARS VICTOR S. C.


Mars hic gradiuus eſt: qui ſic nuncupabatur, cum iratus deſæuiret. A poetis Mauors appellatur, eo quod omnia vertat: quod & his ſpoliis humero eius impoſitis deſignatur. Nulla enim eſt ſalus, vbi hic dominatur. Romam templum eius (qui etiam Vltor, Bellator & Iratus dictus eſt) in Vrbe non tulere, ſed extra Vrbem in via Appia habuerunt. Pacifici autem in Vrbe extructum fuit; vt antea notaui ſub num. 49. vbi ſi placet, vide.

56. M. AVR CARINVS, LVI. ROM. IMP.

M. Aur.Carinus, alter Cari Imperatoris filius, à Patrè contra Perſas proficiſcente, cum Gallias, Hiſpanias, Britanniam, totumq́ue ferè occidentem, cum Italia atque Illyrico in adminiſtrationem ſuſcepiſſet: tam enormibus vitiis, ingentiq́ue fœditate ſe contaminauit, vt pater turpitudine ſcelerum eius audita, non eſſe ſuum filium proclamauerit, & ſi ſuperuexiſſet, nomine Cæſaris illi abrogato, in eius locum Conſtantium ſubrogare cogitauerit. Poſt patris & fratris interitum, etiam liberius inſaniuit. Optimis quibuſq; relegatis, homines libidinum ſuarum miniſtros, ad magiſtratus dignitatem euexit. Vxores ducendo & reiiciendo, nouem habuit: prægnantes expulit. Mimis, meretricibus, lenonibus, & id genus hominum monſtris, Palatium impleuit, eisq́ue plurimum detulit. Faſtidium ſubſcribendi diplomatibus tantum habuit, vt officium hoc impuriſſimo homini cuidam, qui manum eius bene imitabatur, demandauerit. Matrimonia nobilium corrupit. Non defuit ei tamen ad vindicandum ſibi imperium vigor mentis. Nam contra Diocletianum, quem ab exercitu in Perſide Imperatorem electum audiuerat, multis prœliis conflixit: ſed vltima pugna apud Murcium commiſſa, occubuit. Nonnulli ſcribunt eum, Tribuni præcipuè dextra illius, cuius coniugem polluiſſe dicebatur, trucidatum eſſe. An. V. C.1037. Ch.286.

Vixit Annos.. ...
Imperauit An 2 plus minus.
Sepultus........

56. *Populo*



56. Populo cede, ne pare.

NVmiſmatis Imp. Carini ſculptura, eſt figura militaris ſtans, dextra globum, ſiniſtra haſtam tenens. In cuius ambitu inſcriptum eſt:

PRINCIPI IVVENT.

Princeps iuuentutis, nō erat olim, vt hoc noſtro ſeculo, principes Hiſpaniarum & Galliarum, quorum hic Delphinus, ille Infans dicitur proprium; ſed in more poſitum erat apud Romanos, vt ille qui primus in Luſtro (quod ſingulis quinquenniis habebatur) nominatus eſſet à Cenſore, Princeps diceretur. De Senatoribus eadē ratio. Nam qui primus nuncupabatur, Princeps erat Senatus. Ita Romani Equites & pedeſtres copias in cēturias Seniorum & Iuniorum diuiſerunt. Et videtur, quod ille Princeps Iuuentutis dictus fuerit, qui primus fuit nominatus & locum primum inter Iuuentutem obtinuit: Vide Ant. Aug. Dial. 7.

Carini numiſmata etiam ſunt rara.

57. C. VAL. DIOCLETIANVS. ROM. IMP. LVII.

&

58. M. AVR. VAL. MAXIMIANVS. ROM. IMP. LVIII.

C. Val. Diocletianus, Dalmatiæ Salonis, patre Libertino Anulini Senatoris, matre Dioclea, vtriſq; ignobilibus natus, à pueritia militare cœpit, & gregarius miles in Gallia augurium futuri Imperij à Druide accepit. Cæſo Carino, Auguſtus appellatus, & magnis honoribus exceptus eſt, propter ſingulares animi dotes, reiq; militaris peritiam, prudentiam, morumq; ſuauitatem. Princeps ſanè optimis æquādus, ſi à piorum ſanguine abſtinuiſſet. In quibuſdam Imperij regionibus tyrannis inſurgentibus, prudentiſſime aduertens Imperij conſortem opus eſſe M. Aur. Val. Maximianum ex Pannoniæ Syrmio, patre mercenario natum, conſortem legit, & Auguſtum nominauit. Cum quo tanta concordia Imperiū adminiſtrauit, vt alter alteri nunquam repugnauerit. Diocletianus ſe Iouium, Maximianus Herculium appellari paſſus eſt. Iſte Conſtantium Chlorum, ille verò Galerium Maximianum, Cęſares fecerunt & præter adoptionem, etiam affinitate iunxerunt. Diocletianus in Ægypto ex Achilleo Tyranno, in Oriente ex diuerſis plurimas nactus victorias, aureo gemmatoq; curru Romæ magnifice triūphauit: ſeq; primū adorari, & pedes ſuos exoſculari iuſſit, exornās calciamēta auro, gemmis & margaritis. Thermarum in Vrbe opus admirandū perfecit: In Chriſtianos maximè ſæuiit. Hinc illa maxima & vltima perſecutio, quā iſte in Oriente, Maximianus in Occidente, inſtituerat. Rebus vndiq; cōpoſitis, poſt annorū viginti Imperiū, ſapientiſſimè conſiderans difficile eſſe imperare, Diocletianus Nicomediæ, Maximianus Mediolani, principatum depoſuit, & priuatam vitam egerūt. Cuius rei eum (Maximianū) paulò pòſt pœnituit. Nam audiens filiū ſuum Maxentiū à prætorianis Imperatorē electū, è Lucania, in qua ſedē priuatus elegerat, ſpe reſumendi Imperij ad Vrbem ſe cōtulit, ſimulans filio

fore





57. Non eſt turpe homini, qui ſummum bonum in animo poſuerit, honeſtam profiteri paupertatem.

58. Satius eſt mori, quam priuatum viuere.

PArs auerſa Imper. Diocletiani, exhibet Iouem cum pompa, ſubſellio inſidentem, dextra victoriolam, ſiniſtra haſtam tenentem, cum hac inſcriptione:

IOVI AVGG.

Quod eſt: Ioui Auguſtorum: Iupiter à veteribus deus cœli & terræ credebatur. Et interdum *Cuſtos, Seruator, Conſeruator, Latiaris, Hammon, Capitolinus, Stator, Tonans,* &c. dicebatur. Iouem Statorem inuocauit Cicero in oratione, dum in exilium iret: De Ioue Cuſtode, dicit Seneca lib. 2. Quæſt. Nat.

foreauxilio. Tumultu militari excitato exceſſit. In Gallias profectus, genero Conſtantino (poſtea magno dicto) inſidias parauit. Sed per Fauſtam vxorem, quæ patri maritum prætulit, detectæ ſunt. Conſtantinus eum fractis laqueo ceruicibus occidi iuſſit.

Diocletianus autem per decem annos priuatus Salonis ſuperfuit, hortorũ amœnitati & agriculturæ vacans, teſtatus nullos ſibi vnquam ſoles lætiores affulſiſſe. Tandem à Conſtantino & Licinio vocatus ad nuptias Conſtantiæ, excuſans ſe per ſenectutem, ſed excuſationem minacibus literis reiicientibus Imperatoribus ſuſpectans necem ignominioſam, quod fauiſſet Maxentio ac Maximino, veneno hauſto occubuit. Abdicauerũt ſe Imperio, 11. Cal. Maij Ab V.C. 1056. Ch. 304.

Vixit { Diocletianus An. 78.
Maximianus An. 60.

Imperauerunt vnà An. 20.

Sepultus { Dioclet.
Maxim. Mediolani.

Diocletiani & Maximiani numiſmata multa extant.

Quom

Quem nos Iouem, intelligunt Cuſtodem Rectoremq; vniuerſi. Iupiter Conſeruator in num.12.conſpicitur. Fuit templũ Romæ in Capitolio Tonantis Iouis, ab Auguſto ædificatũ: ſcribitq; Cicero lib.2. de Natura Deorum: *Hunc enim augures noſtri, cum dicunt Iouem Fulgentem, Tonantem, dicunt enim, cœlo fulgente & tonante.* De Ioue Latiare ait Tertullian. aduerſus Gnoſticos: *Ioui Latiari ad hodiernum media in Vrbe humanus ſanguis inguſtatur.* Minutius Felix: *Hodie à Romanis* (inquit) *Latiaris Iupiter homicidio colitur, & quod Saturni filio dignum eſt, mali & noxij hominis ſanguine ſaginatur.* Iupiter cum Hammon dicitur, habet cornua. Victoriola q̃ dextra tenet Iupiter, indicat Cæſares omne auxilium & victorias ab ipſo expectare.

58. Aur. Val. Maximiani nummus, præſefert querceam coronam, in cuius medio eſt:

VOT. XX. H.

Id eſt, Vota vicennalia. Solebant veteres ſuſcipere aut nuncupare vota: interdum ipſe Imperator, interdum Conſules, Prætores, Cenſores aut Pontifices, pro felicitate & proſperitate Principis, Senatus, aut populi Rom. ad V. X. XX. XXX. & plures annos, quæ dicebantur: Quinquennalia, Decennalia, Vicennalia, Tricennalia, &c. Suſcipiebantur autem in Capitolio, ſcriptiſque & ſubſignatis tabulis, ne amplius in dubio ponerentur, confirmari ſolebant: atque ipſas quaſi tabellas Deorum, quibus vouerant genibus cera affigebant, vnde Iuuen. Satyr. 10,

Ergo ſuperuacua & pernicioſa petantur.
Propter quæ fas eſt genua incerare Deorum.

Porrò nuncupabantur ſiue ſuſcipiebantur Vota eiuſmodi, cum his aut ſimilibus conditionibus; Si Imperator ſaluus vixerit, ſi Reſp. Rom. manebit in ſuo ſtatu V. X. XX. aut plures annos: ſi illa victoria ſucceſſerit; Iſta ſacrificia, tali aut tali Deo præſtabuntur, & in ipſius honorem iſti Ludi & feſta celebrabũtur. Eo finito tempore, vota ſoluebantur, vt ex nummo Commodi, quẽ Sambucus exhibuit, videre eſt: vbi Imperator ſacrificat vitulũ, cũ hac inſcriptione: *Vota ſoluta pro ſalute populi Rom.* De hac materia lege votũ M. Actii Conſ. Rom. apud Liuium.

59. FL. VAL. CONSTANTIVS. LIX. ROM. IMP.

&

60. GAL. VAL. MAXIMIANVS. LX. ROM. IMP.

Conſtantius Chlorus, Eutropij Rom. gentis nobiliſſimi & Claudiæ, filiæ Claudij Auguſti, filius, à Maximiano & Diocletiano, cum Gal. Val. Maximiano in Imp. adoptatus eſt. Cæterum cum hi ſponte Imperio renunciaſſent, cum Galerio prouinciarum adminiſtrandarum curam partitus, licet ei Galliæ, Hiſpaniæ, Italiæq; cum tota Africa obtigiſſent, Galliis contentus, illis diligentiſſimè præfuit. Germanis, Franciſq; profligatis, legibus optimis inſtitutis, Imperium adminiſtrauit, Britanniam ſubiugauit. Princeps benignus ac facilis, atq; ad promerendam ſubditorum ſibi populorum gratiam, mirè propenſus. A Chriſtiana religione non abhorruit. Diuitiarum ſpretor, & paucis cõtentus, fictilibus vaſis vtebatur: argentea, vt abacum exornaret, ab amicis interdum mutuo accipiebat. Eo regnante in Hiſpaniis, Galliis, & Alpibus, nulli motus fuere, & hoſtes P. R. ab armis ceſſauere. Reliquit liberos ex Helena, Conſtantinum Magnum, qui patri ſucceſſit: ex Theodora verò, Aur. Val. Maximiani priuigna, Anaballianum, Conſtantium patrem Iuliani, & Conſtantiam Licinij Imp. vxorẽ. Eboraci in Britannia morbo cõſumptus, occubuit. 8 Cal. Auguſti, An. ab V. C. 1058. Ch. 306.

60. GALERIVS MAXIMIANVS Armentarius cognomento, eò quod paſtor ouiũ fuerat, ortus parentib. agrariis in Dacia, à Diocletiano cũ miles eſſet ſtrenuus, Auguſtus factus eſt, & duos ſibi adoptauit Cæſares, Seuerũ & Maximinũ ſororis ſuæ filiũ. Mortuo Seuero, Licinium ei ſucceſſorẽ dedit, ac cõtra Maxentium Romã proficiſcitur: ſed audita militũ defectione, in Illyricum rediit. Homo ſanguinarius & crudeliſſimus, ſimulachrorum cultor, deliciis & luxu ad inſaniam diffluens, nullam





59. Virtus exercetur, non ferit.
60. Sponde, noxa præſto eſt.

IN parte auerſa Imperatoris Cõſtantij, expreſſa ſunt caſtra prætoria, cum hac inſcriptione:

PROVIDENTIÆ CÆSS.

Prætorium in Caſtris & portu Prætorio, à Prætore exercitus cognominatum fuit. Prætor ſiue præfectus prætorij Auguſtalis, in aula ius dicebat. Et ab eo Prætoriani milites ſiue cohortes prætorianæ etiam denominatæ videntur, quibus Imperatoris, vbi is aderat, vel pro Vrbis tutela, vna cum cohortibus vrbanis excubabant. Habebantque Romæ caſtra, Prætoria dicta, muro circumdata, in quibus extincto Imperatore, interdum Impe-

vrbem ſine adulteriis & virginum ſtupris incontaminatam relinquit. Homo rei militaris quidem gloria illuſtris, vt dixi: verum ſæuitia in Christianos crudelis. Galeriam Diocletiani filiã vxorem habuit. Cum in morbum crudelem incidiſſet, conſumptis genitalibus defecit, & vermibus vbique erumpentibus, fœdiſſimo, eoque digno exitu periit: ſiue vt Euſeb. lib. 8. cap. 16. cum nulla medicorum opere leuaretur, ſibi ipſi manus intulit. Menſ. Sept. ab V.C. 1063. Ch. 311.

Vixit { Conſtant. An. 56.
Gal. Maxim. An.

Imperauerunt vnà, vt Cæſares. An. 13. M. 1. D. 21.

Imperauit { Conſtans / Gal Max. } vt Auguſtus { An. 2. M. 3. D. 5. / An. 7. M. 5.

Sepultus { Conſtans Eboraci, & conſecratus eſt.
Gal. Max. in Dacia loco Romuliano.
Inter Diuos relatus eſt.

rium

rium venale proponebant, eique qui plus offerret, tradebant. Subrogatos ipſorum arbitrio Impp. ſi non ſatis liberales ſe oſtẽderent ſæpius occidebant, maximosque tumultus in Vrbe excitabant. Exhibentur autem hæc caſtra alia forma in num. 5. Hic eſt adſcriptum: *Prouidentia Cæſarum*, quo indicatur, quod caſtra bene ordinata, & omnia ædificia debito tempore erecta ſint, ex prouidentia prudentiſſimi Principis fieri.

60. Poſterior pars nummi Galeri Maximiani, exprimit, duas figuras iungentes dextras, & inſcriptionem:

CONCORDIA MILITVM.

Manus iunctas Concordiam ſignificare, complurima veterum numiſmata, aliaque monumenta docent. Numa Pompilius Romanorum Rex, Flamines manibus inuolutis ad digitos vſque rem diuinam facere voluit, ſignificans ſymbolicè fœdera ſeruanda eſſe, ac eius ſedem in dextris eſſe ſacratam. Notandum in nummis, dexteras inuicem vbique iungi, læuas verò nunquam. Vide deſcript. ſub nummo 35. Victoriola autem ſuper Globum, qui dextris tenetur, deſignat victoriam Concordia obtinendam eſſe.

Numiſmata Conſtantij & Galerij Max. ſatis frequentia ſunt.

61. FLA. VAL. SEVERVS ROM. IMP. LXI.

&

62. GAL. MAXIMINVS II. ROM. IMP. LXII.

FL. Val. Seuerus & Gal. Maximinus, à Galerio Maximiano ad Imperij molem ſuſtinendam, poſtquam Conſtantius Italiam & Africam reliquiſſet, ſimul & Cæſares & Augusti dicti ſunt. Seuerus Italiæ & Africæ præfuit, Maximianus Orienti. Interea in Vrbe Prætoriani Maxentium, Val. Maximiani Auguſti filium, per ſeditionem, Imperatorem crearunt. Contra eum Seuerus cum exercitu profectus, Romam cinxit obſidione: ſed à militibus paulò pòſt deſertus, qui in partes Maxentij conceſſerant, fugere coactus eſt. Rauennæ captus, ab eis quos ad ipſum inſequendum Maxentius miſerat, miſerè interfectus eſt. Menſ. Maio. Ab V. C. 1059 Ch. 307. vt Cæſar imperauit annum vnum, & menſes aliquot.

62 GAL. VAL. MAXIMINVS eius nominis ſecundus, cognomento DAZA, ex ſorore Galerij Maxim. Armentarij natus, quamuis eſſet ortu atque inſtituto paſtorali, animo tamen & morib. nihil agreſte prælſetulit. Sapientiſſimi cuiuſq; cultor, amator literarũ, ingenio miti & quieto erat: vini tamen auidior, quo inflammatus, iubebat quædam aſperius. Cum autem eum ſæpius facti pœniteret, deinceps in ſobrium, matutinumq; tempus omnia differebat. In Oriẽte cõtra Chriſtianos maximè deſæuiit. Cum aduerſus Licinium (qui à Galerio Maximiano





61. *Chriſtianorum ſanguis, Chriſtianorum ſemen.*
62 *Miſera fortuna, quæ caret inimico.*

IN nummo Imp. Seueri, conſpicitur miles galeatus, dextra haſtam, ſiniſtra trophæum ſuper humerum ferens, cum hac inſcriptione:

VIRTVS AVGG. ET CÆSS. N. N.

Id eſt: Virtus Auguſtorum & Cæſarum noſtrorum, puta Seueri & Maximini. Hæc figura ſtans galeata, eſt ipſa Virtus, quæ à viro vel à viribus deriuatur: Galea & haſta, virtutem tantum ab hominibus fortibus poſſideri, deſignatur; qui virtute & inimicos ſuos ſubiungant, & eis ſpolia eripiunt. Quæ omnia quadam

ximiano Armentario, loco Seueri conſors Imperij factus eſt, res nouas in Oriente moliretur, rupto fœdere, cum filiis, quos iam ſocios Imperij aſſumpſerat, oppreſſus, ne viuus caperetur, ſe ſtrangulauit Tarſi. Men. Iunio V. C. 1065. Ch. 313.

Vixit Maximinus An.
Imperauit vt Auguſtus circa An. 3.
Sepultus......

Seueri numiſmata difficulter. Maximi verò facilius recuperari poſſunt.

Aſiam

dam adulatione hîc Auguſtis & Cæſaribus, Seuero & Maximino, tribuũtur: quaſi ipſorum virtute inimici fugarentur, & milites ex ſpoliis diuites euaderent. Varia reperiuntur numiſmata, cum Virtutis inſcriptione, de quibus lege Ant. Auguſt. Dial. 2.

62. Maximini Dazæ nummus, habet ab auerſa parte quadrigas ſiue currum Solis, quatuor equis in diuerſum currentibus, quos Apollo radiatus regit, addita inſcriptione:

SOLI INVICTO COMITI.

Quâ teſtatur Imperator, ſe tot obtinuiſſe victorias, *Solis Comitis Inuicti* adiumento. Quadrigas, quibus Romani in Circis & triumphis vtebantur, Soli ſacras fuiſſe, veteres tradidere. Et quemadmodum Sol per quatuor anni tempora, Ver, Æſtatem, Autumnum, & Hyemem, vertitur; ita in numiſmatibus & picturis fingebatur, equis quatuor trahi. Eorum vnus, praſſino ſiue viridi colore, Ver, & Terram deſignabat; quia tunc pampinus denſatur & omnia viridantur. Alter roſeus, Æſtatem & Ignem; quod tum Sol ignei coloris ſit, & omnia flaueſcãt. Tertius venetus ſiue cæruleus; Autumnum & Aquam. Quartus albus, Hyemem & Aërem repræſentabat; quod ſit glacialis, & tunc frigoribus vniuerſa caneſcant. Sic circa cauſas elementorum, veteres etiam colores equorum iunxerunt. Hæc ex Iſidoro. De Bigis & Trigis, lege ſub nummo 25. Solem pro Deo habitum fuiſſe apud Ethnicos, teſtatur Cicero, de Nat. Deor. lib. 3. quem Græci Apollinem nuncuparunt,

63. M.

63. M. AVR. VAL. MAXENTIVS IMP. LXIII.

&

64. C. VAL. LICIN. LICINIVS ROM. IMP. LXIV.

MAxentius Valerij Maximiani Herculei Imp. ex Eutropa Syra filius: à prætorianis non abnuente Senatu Imp. dictus eſt. Seuerum qui aduerſum ſe exercitum duxit, circa Rauennam interfecit. Imperium vt Tyrannus exercuit, aſperitate patri ſimilis & libidine inextinguibili. Stuprandis mulieribus erat addictus. Nefandam libidinem cum Chriſtiana Sophronia, Vrbis præfecti coniuge pudiciſſima, exercere volens, falſus eſt. Nam ea vt euaderet, cum à lenonibus præſtolantibus ornandi ſe tempus impetraſſet, ingreſſa cubiculum ſibi manus intulit. In Chriſtianos omne genus crudelitatis exercuit. Bona priuatorũ multa diripuit, noua vectigalia inuenit & omni modo exigendo pecuniæ inexorabilis factus, odio haberi captus eſt. Quamobrem Rom. Senatus per clandeſtinos nuncios Conſtãtinum, qui Galliis imperabat, euocandum curauit. Maxentius ab eo ad pontem Miluium ſuperatus, in Tiberim abiectus eſt, vt ne cadauer quidem ipſius reperiri potuerit. Cal. Octob. V.C. 1064. Ch. 312. Imp. An 6.

64 LICINIVS in Dacia parentibus agricolis natus, à Galerio Maximiano, mortuo Seuero, conſors Imperij factus, Galerij liberos affines iure ſodalitatis & conſortij, interfecit. Primo Illiriis præfuit, poſtea in Oriente Maximino fugato, ob victoriã inſolens, Conſtantinũ contẽnere & in Chriſtianos maximè ſæuire cœpit. Conſtãtinus cum monitis apud Liciniũ nihil proficeret, collecto exercitu, in Pannoniæ cãpis fuſum, ex Europa in Aſiam





63. *Phryges non niſi icti ſapiunt.*

64. *Spadones & aulici ſunt tineæ & ſorices Palatij.*

IN poſteriore parte Imp. Maxentij, expreſſæ ſunt duæ figuræ nudæ ſtantes, dextris tenentes equos ſingulos: cum iſta inſcriptione:

ÆTERNITAS AVG. N.

Quod eſt: æternitas Auguſti noſtri. Occo ponit AVGG. ſed apud me eſt nummus pulcherrimus, in quo legitur AVG. quemadmodum & Ant. Auguſt legit. Illæ duæ figuræ ſtantes videntur gemini, Caſtor & Pollux. Finguntur hi ab ethnicis, inter Deos Apotropæos, hoc eſt, malorum depulſores. Nam cum Caſtor diem ſuum obiiſſet, ferunt Pollucem, (qui immortalis

Aſiam expulit. Tandem per Conſtantiam Licini vxorem, Conſtantini ſororem, gratia vtcunque reconciliata eſt. Cum autem rebellem animum nihilominus retineret, Conſtantinum fugiens, Byſantium peruenit, ibique Martinianum officiorum magiſtrum, Cæſarem & Auguſtum creauit. Paulò pòſt coactus à Conſtantino, abdicauit. Cal. Maij. An. ab V.C.1076. Ch.324. & Theſſalonicæ cum Martiniano, iuſſu Conſtantini, à militibus eſt interfectus.

Vixit Licinius An. 60.

Imperauit { Viuente Maximino An. 3. / Poſt autem, An. 11.

Sepultus ....

Martinianus prædictus à Goltzio & Occone in ſerie Auguſtorum appoſitus eſt: ea tantum ratione, quod nummus æreus olim apud Clariſs. virum Abrah. Ortelium, extabat. Alij verò eum omiſerunt, cum nihil in hac dignitate memoria dignum egerit, & non diu poſt electionem abdicare coactus & occiſus ſit. Nummi ipſius etiam non reperiuntur, idcirco & ego eum hic omiſi.

Nummi Maxentij & etiam Licinij rariores ſunt.

taliserat) fratris deſiderio à Ioue petiiſſe, vt immortalitatem ſuam cum fratre poſſet partiri, qua re impetrata, alterni mori traduntur & reuiuiſcere Virg.6.Æn.

Si fratrem Pollux alterna morte redemit
Itque reditque viam toties.

Videtur Imperatori Maxentio, Symbolo Geminorum qui in hoc numiſmate, optari immortalitas & æternitas.

64. Numiſma Imper. Licinij præſefert Iouem ſtantem cum Aquila, dextra tenentem Victoriolam, ſiniſtra haſtam, hac inſcriptione adiuncta:

IOVI CONSERVATORI AVGG.

Aquila Ioui plerunque à veteribus adiungebatur, vel ob id, quod à poetis fingitur, in bello Giganteo Ioui arma miniſtraſſe, vnde Virgil.9. Æn.

Pedibus Iouis armiger vncis.

Vel quod cum Iupiter cum patre Saturno (vtrunque autem regem fuiſſe conſtat) de agris contentionem haberet, & bellum inde ortum eſſet, ad pugnam egrediens, aquilam viderit augurium. Eius cum viciſſet auſpicio, fictum eſt eum pugnanti tela adminiſtraſſe, vide Occonem. Ant. Auguſtinus Dial. 5. aliam huius rei cauſam tradit, nimirum quod Iupiter, vt veteres exiſtimarunt, in inſula Creta primus nidum Aquilæ inuenerit, & ea aucupatus ſit. Quæ ſi minus placet, altera quam denique adfert forte placebit, quæ eſt; Ioui, qui deus deorum ab Ethnicis æſtimabatur, debitè auium omnium reginam attributam eſſe. De Ioue conſeruatore vide ſub num. 12.

65. FL. VAL. CONSTANTINVS MAX. IMP. LXV.


& eius filius.


66. FL. IVLIVS CRISPVS ROM. IMP. LXVI.

CONſtantinus Magnus, patre Conſtantio Chloro Aug. & matre Helena in Britanniis natus, literis & moribus optimè inſtitutus, adoleſcens contra Sarmatas à Galerio Maximiano miſſus præter ætatem hoſtes profligauit. Eius poſtea gliſcentem fugiens inuidiam ad patrem rediit. Quo mortuo, Gallias, Hiſpanias & Cottias Alpes obtinuit. Literis à Senatu accerſitus, in Italiam venit, eamque à tyrannide Maxentij liberauit. Inde primus Magni cognomen meruit, & arcum triumphalem à Senatu. Ante Licinij cædem tres Cæſares fecit, Criſpum & Conſtantinum filios, & Licinium Iuniorem ſororis ſuæ filium. Totus religioni Chriſtianæ deditus, Chriſtum ab omnibus colendum præcepit, templaque Chriſtianis & alia ſacella erexit. Bella contra Barbaros multa feliciſſimè confecit. Byzantium inſtaurauit, Romamque & Conſtantinopolim de ſuo nomine vocauit; adeoque in ea ornanda ſollicitus fuit, vt multis ornamentis & deliciis ſpoliauerit vrbes, & illuc Imperij ſedem tranſtulerit. Leges ſanctiſſimas tulit: ſtudia literarum vehemēter coluit. Nicænam Synodum contra Arrium & alios celebrauit.

66. CRISPVS, Conſtantini Magni ex Mineruina filius, à patre Cæſar appellatus, ea corporis pulchritudine præditus fuit, vt eius amore, nouerca ſua Fauſta Conſtantini vxor vehementer inflammata, ſæpius eum ad libidinem ſollicitauerit. Cui cum ille aſſentiri nollet, Fauſta amorem in odium commutans, eum tanquam pudicitiam ſuam expugnare volentem, ad maritum detulit. Conſtantinus Max. fidem vxori adhibens, filium Criſpum, ad Polam Hiſtriæ oppidum interfici iuſſit. Sic Fauſta Criſpum è medio tollere voluit, vt eius liberi

Imperio





65. Imperatorem eſſe, fortuna eſt.

66. Homo extra corpus ſuum eſt iratus.

MAgni Conſtantini numiſma, expreſſum habet pontem pulcherrimum ſupra fluuium Danubij: in quo videntur tres figuræ, & typus fluuij, cum hac inſcriptione:

SALVS REIP. DANVBIVS.

Formatum fuiſſe in honorem & gratiam ipſius, propter mirabilem illam victoriam, in ſua iuuentute à Sarmatis obtẽtam, videtur. Sed non fuiſſe cuſum poſt illam victoriam, cum Galerius Maximianus Romæ Imperium occupabat, & Conſtantius Conſtantini pater adhuc viueret, etiam creditur: verum tum,

Imperio potirentur. Eandem ob cauſam & Licinius Iunior, inſidiis Fauſtæ ſublatus eſt. Verum aliquot poſt annos, innocentiam filij & vxoris fraudem Conſtātinus cognouit, & Fauſtam, Helenæ matris inſtinctu, quæ (teſtante Tretero) nepotis Criſpi mortem innoxiam grauiter ferebat, in ardens balneum inijci mandauit. Necatus eſt Criſpus anno V.C. 1078. Ch. 326.

Vixit An. .....

Imperauit cum patre An. 13.

Sepultus Polæ, Hiſtriæ.

Conſtantinus pater autem ſenex Perſis bellum indixit; copiis coactis Sotiropolim petiit, vt aquis calidis ſenile corpus foueret. Pharmaco dato, miniſtri venenum admiſcuerunt, quod intrepide hauriens, paulò pòſt extinctus eſt. 11. Cal. Iunij, in ſuburbio Nicomediæ. An ab V.C 1089. Ch. 338.

Vixit Annos 65.

Imperauit { ab obitu patris ad mortem Licinij An. 18. postea ſolus An. 14. } 32. An.

Sepultus Conſtantinop. in baſil Apoſt.

Corpus Conſtantinopolim, regia pompa, filius Conſtantinus deduxit, à quo & fratribus pater conſecratus, in Diuorum numerum relatus eſt. Vide Occonem in vita Conſtantini Max.

Conſtantini Max. & Criſpi nummi (plerunque ex parua forma, ærei) perabunde extant.

eum hic Imperium & nomen Magni obtinuiſſet. Teſtatur id inſcriptio ab aduerſa ſiue anteriore parte: CONSTANTINVS MAX. AVG. Pomponius Let. lib. 2. mentionem iſtius victoriæ his verbis facit: *Extremam pueritiam* (intellige Conſtantini) *quam parens literis, moribus, & re militari fouendam præbuerat, egit ſub Galeriano Maximiano in Oriente: à quo iam adoleſcens miſſus eſt cum exercitu contra Sarmatas, gentem ferociſſimam, cædibus hominum adſuetam. In ea expeditione Iuuenculus pluſquam promitterent anni, geſſit: & præter opinionem hoſtes profligauit atq; cecidit. Ducem Sarmatarum catenatum ad Galerium duxit: qui ea victoria minimè lætatus eſt, quoniam adoleſcentem perdere quærebat. Propter eam cauſam hortatus, vt cum leone in Theatro pugnaret, Conſtantinus auidus gloriæ in certamen deſcendit, feramque pertinaciſſime vicit, &c.*

Sarmatia duplex eſt, Europea & Aſiatica, à fluuio Tanaide deuiſa. Erant Sarmatæ crudeliſſimi, vt qui ora vulneribus recētibus interfectorum admouere, atque inde ſanguinem haurire ſolerent. Sæpius Daciam, Thraciam & Myſiam vaſtauerunt, quæ iam Vallachia, Moldauia, Tranſyluania, Bulgaria & Hungaria dicuntur; atque ibi circa fluuium Danubij conflictus, de quo paulò ante, commiſſus eſt.

66. In poſteriori parte Criſpi, exſculpta eſt Roma, Panopliæ inſidens, tenens ſcutum, in quo: X. V. & hæc inſcriptio conſpicitur:

ROMÆ ÆTERNÆ. P. R.

Roma regina vrbium, à Romanis inter Deas honorabatur, & templum ſuum, in Vrbe habebat. Depingebatur autem, ſpoliis aut Panopliæ inſidens, quia ipſa ſe ſpoliis, hoſtium quos ſuperaret, ditaſſet & locupletaſſet. Galea chriſtata ornata eſt, eò quod ſemper ad reſiſtendum & opprimendum hoſtes parata eſſet.

Quid autem ſibi velint hæ notæ X. V. in ſcuto quem geſtat, declarauimus in deſcriptione numi 58 P.R. ſignificant, à populo Romano hæc Vota Xnalia, pro ſalute aut victoria Principis nuncupata eſſe.

67. FL. CL. CONSTANTINVS Iunior IMP. LXVII.

& ipſius fratres.

68. FL. IVL. CONSTANS. ROM. IMP. LXVIII.

&


69. FL. IVL. CONSTANTIVS II. IMP. LXIX.


COnſtantinus, Conſtans & Conſtantius, Magni Conſtantini, ex Fauſta filia Herculij, filij: Imperium, quod per manus à patre acceperunt, ſic partiti ſunt. Conſtantinus vel ſorte vel teſtamento obtinuit Gallias, Hiſpanias, Britanniam, Orcades, Hyberniam, Thule. Conſtans Italiam & Aphricam cum inſulis, item Illyricum, Dalmatiam, & Græciam. Conſtantius verò Byzantium & Orientem. Mox Conſtantinus hac diuiſione minimè contentus, ad Conſtantem fratrem legatos miſit, vt nouam faceret diuiſionem, & cum nihil proficeret, armis eum aggreſſus eſt. Ad Aquileiam cum perueniſſet, fidens viribus, incautius congreditur, vbi equus vulnere ictus ſeſſorem deiecit, incognitusque humi multis confoſſus ictibus, & in flumen Alſa proiectus eſt. an. V. C. 1092. Ch. 340. ætatis ann. 27. Imperij An. 3.


68. Conſtans, fratre cæſo, eius hæreditatem, & prouincias tranſalpinas, intra biennium occupauit. Cuius infortunium huic dicto, quod Conſtanti poſt illam victoriam de fratre reportatam, fuit familiari dedit occaſionem:

Creſcente ſuperbia, decreſcit fortuna.

Et certè







67. *In magnis & voluiſſe ſat eſt.*

Et certè ſuperbiā ſequitur pœna, cum maximæ ruinæ, ..-bet D. Auguſtinus, ſæpius ſit cauſa. Quique per propriam ſuperbiam attolli vult, per Dei iuſtitiam inclinatur, authore Iſidoro. Nam ſuperbiâ, offendit homo Deum: inuidiâ, proximum: irâ, lædit ſeipſum. Conſtans autem Imperator primum egit optimum pri cipem, inde ad delitias animum flexit, & in ægritudinem inc dens moroſus factus eſt, illiberalis & ingratus omnibus. Qua de cauſa ſeditione mota, Magnentius Imperator à militibus ſalutatus, cuius inſidiis Conſtans venatione feſſus, dormiēs intrà tentorium, ad Helenam Caſtrum prope Hiſpanias, interfectus eſt. Cal Martij. An. ab V. C. 1101. Ch. 350. Imperij An. 12. M. 9 D 5. ætatis 30.

69. Conſtantius verò Arrianæ ſectæ deditiſſimus fuit. Contra Perſas fortuniam experiebatur. Sed audita Magnentij factione, *GALLVM* patruelem Cæſarem fecit, & reliquit in Oriēte. In Magnentium ſe parans, fratris Conſtantis cædem vlciſcendi cauſa, Tyrannum memorabili prœlio ad Murciam fudit: quo Romani Imperij vires penè conciderunt, deſideratis vtrinquè 53. millib. Gallum patruelem Cæſarem interfecit, & Tyrannos vndique oppreſſit. Contra Perſas ſæpe infeliciter cōflixit. Et cum ipſe ad Conſtantinopolim maneret, & rurſus bellum in Perſas cogitaret, qui Orientis limitem perruperant, Iulianum cognatum, Galli fratrem, vigeſimotertio ætatis anno, Cæſarem dixit, ſororemq; ſuam Helenam ei in matrimonium tradidit, qui Gallias aduerſus Alemannos tueretur. Pace vbique parta, totius orbis Dominum ſe ſcripſit. Iulianus autem, qui Galliis præfuit, ob res benè geſtas, ab exercitu Imperator ſalutatus eſt: in eum mouit exercitum Auguſtus, ſed febre ardente ex impatientia & indignatione contracta, ad radices montis

Tauri,

6[?]. *Creſcente ſuperbia, decreſcit fortuna.*

69. *Princeps & iniqua & æqua pariter audiat.*

IN hoc nummo Conſtantini II. conſpiciuntur duo captiui humi labaro aſſidentes, in quo: VOT. XX. cum hac inſcriptione:

VIRTVS EXERCIT.

Virtus, in numiſmatibus diuerſis formis exhibetur, quæ apud Ant. Auguſtinum, Dial. 2. videri poſſunt: ſed plerunq; tantum Imperatoribus tribuitur, cum inſcriptione: Virtus Aug. ſiue Augg. Nonnulla poſteriora habent: Virtus militum: hoc noſtrum & alia, Virtus Exercitus. Ex qua inſcriptione colligere eſt, honoris olim Augg. & Cæſarib. tributos, declinante Imperio, cum virtute, exercitui & militib. communis cum Impp. factos eſſe. Quod autem in labaro ſignatũ eſt, VOT. XX. ſub nummo 58. explicauimus.

68. Conſtans Imp. in hac auerſa parte nummi poſt ſe relinquit, ſtatuam armatam ſtantem in naui, dextra Victoriolam, ſiniſtra labarum tenentem, in puppi conſpicitur Victoria, nauem gubernaculo regens, hac inſcriptione:

FELIX TEMP. REPARATIO. TR. S.

Fuit hoc numiſma formatum, poſtquam Imperator Conſtans Gallias, pro quibus per biennium pugnauerat ſub Rom. ditionem, non ſine magno labore redegiſſet, & Imperium reparaſſet. Figura armata, eſt ipſe Imperator, cui Victoriola laurum, pro victoriis obtentis imponere videtur. Victoria verò in puppe ſedens, & gubernaculo nauem gubernans, deſignat Imperatorem in ſuis expeditionibus, victoriam pro comite & gubernatore habuiſſe. In Labaro autem, quod Imperator ſiniſtrâ gerit, conſpicitur ſignum, de quo in nummo ſequenti. Conſtantinus Magnus primus fuit, qui labarum ita ſignatum geſſit. Nam in Maxentij nummo videtur ipſe Imperator, labarum tenens, ſed in illo aquila figurata eſt.

69. Pars poſterior nummi Imperatoris Conſtantij II. exprimit duas figuras ſtantes, ſcilicet Imperatóris, dextra labarum

Tauri, deceſſit. 3. Non. Nouembris, Anno V. C. 1113. Chr, 362.

Vixit Annos 44.
Imperauit ab obitu
Patris, Annos 24. M.
Sepultus Conſtantinop in Baſil. Apoſt.

Conſtantini Iunioris & Conſtantis numiſmata rarius reperiuntur, Conſtantij verò plurima extant.

tenen-

tenentis, & Victoriæ à tergo Imperatorem coronantis, cum hac inſcriptione:

HOC SIGNO VICTOR ERIS. ASIS.

Labarum ſiue vexillum quod in hac auerſa parte cōſpicitur, deſcribit Euſeb. de vita Conſtantini lib. I. cap. 25. Erat enim tali figura fabricatum. Haſtile oblongum, erectumque, auro vndique obductum: quod cornu habuit tranſuerſum ad formam crucis conſtructum: ad quod velamen quoddam pertenue appenſum adhæſit, regalis videlicet & magnifica textura. In eo Seruatoris nota inſcripta, quæ erat fabricata ſecundum ſignum de lumine ab ipſo Conſtantino Max. in cœlo viſum, & ea inſcriptione: de qua cohortatus fuerat: *Hoc ſigno victor eris.* Conſtantinus Max autem iſto ſigno ſemper vſus eſt, mandauitque vt vniuerſum exercitum perpetuo antecederet.

70. MA-

70. MAGNENTIVS LXX. ROM. IMP.

& eius frater,

71. DECENTIVS LXXI. ROM. IMP.

MAgnentius obſcuris in Gallia parentibus natus, à Conſtante enutritus, vir legendi ſtudio promptus, ſermone acer, animi tumidi, & immodicè timidi, artifex tamen, ad occultandam audaciæ ſpecie, formidinem. In tantum ob virtutem bellicam à Conſtante adamatus fuit, vt exorto in Illyriis tumultu, cum iamiam à militibus occidendus eſſet, Imperator eum paludamento obtexerit, atq; ſeruauerit. Gratitudinis loco, quam ſuo ſeruatori debebat, Conſtanti dolos rependit: eoque interfecto, malis artibus imperium adeptus eſt. Veniens in Italiam cum exercitu, Mediolani fratrem ſuum DECENTIVM Cæſarem fecit, qui ob rerum cum laude geſtarum paucitatem, vel ob temporis quoad eum dignitatis gradum euectus fuit, breuitatem, nihil habet in vita memorabile. A fratre ad tuendas Gallias cum exercitu trans Alpes miſſus eſt. Vt autem nuncium accepit de miſerabili fratris interitu, metu, laqueo faſciæ ſeipsū apud Sennonas ſtrangulauit. Magnentius autem cum Conſtantio, qui fratris Conſtantis cædem vlciſcebatur ad Murſiam congreſſus, magna clade ſuperatus eſt. Collectis exercitus reliquiis, cum pacis conditiones fruſtra per legatos tentaſſet, & Ducis tantum titulum petiiſſet, iterum cum Conſtantio conflixit. Victus Lugdunum aufugit: vbi cum ſe tutò non poſſe conſiſtere, ſeque cuſtodiri animaduertiſſet, gladio occultè promiſo, ictum pulſu parietis iuuans, transfoſſo latere (vt erat vaſti





70. Pudor ſeni pudor, iuueni decor.

71. Miſer dolor qui in tormentis non habet vocem.

IN auerſa parte Magnentij Imp exhibetur nota Chriſtianiſmi, duabus primis literis nominis Chriſti, quæ totũ nomen perſpicuè ſignificant: habetque ab vtraque parte hos characteres A. ω. cum inſcriptione:

SALVS DD. NN. AVG. ET CÆS. infra FELC.

Refert Euſebius, de vita Conſtantini Max. lib. 1 cap. 22. *Quod Conſtantino orante circiter meridiem, Deus ipſi viſionem in cœlo oſtenderit: crucem videlicet de lumine fabricatam, ac præterea inſcriptionem dicentem,* IN HOC VINCES. Et cap. 25. *Has quidem*

corporis) vulnere, naribusq́ue & ore cruorem effundens, expi-
rauit, 18. Cal. Septemb. ab V.C. 1104. Ch. 353.

Vixit Annos 50.

Tyrannydem occup. An. 3. M. 6.

Magnentij numiſmata nonnulla reperiuntur, ſed tantum ex ære & auro. Decentij ſunt rariſſima, & tantum ærea mihi videre contigit.

quidem

quidem literas (intellige quæ in hac auerſa parte videntur) *deinceps ſemper Imperator in Galea geſtare conſueuit.* Ant. Auguſtinus Dialog 1. duos exhibet nummos Conſtantini Max. vnum ipſius Cæſaris galeati, in cuius galea hæc nota noſtræ auerſæ partis extat. In altera autem illa nota in labaro videtur. Ego duo ſimilia numiſmata ex ære habeo, ſed abſque hac nota: & me nunquam Conſtantini Max. nummi cum his literis vidiſſe fateor. Sed eius filij & plerique deinde Cæſares, hac nota, haud dubio ad honorandum patrem, in labaro vſi ſunt, vt in num. 68.69.71.75.76.80.81. & in aliis plurimis videre licet. Alpha & Omega, deſignat Chriſtum primum & vltimum eſſe.

71. Decentij Cæſaris nummi auerſa pars, exhibet duas victorias ſtantes & tenentes clypeum aut corollam, in qua legitur VOT. V. MVL. X. & hæc inſcriptio:

VICTORIÆ DD. NN. AVG. ET CÆS.

Quod legendum, vt vult Occo & Choul: victoriæ Dominorum noſtrorum Auguſtorum & Cæſarum. Poix autem legit, victoriæ Dominorum noſtrorum Auguſti & Cæſaris: cuius ſententiæ & ego aſſentior. Mouet me quod non AVGG. & CÆSS. quomodo pluralis numerus ſolet exprimi, (vt oſtendi amplius ſub num. 33. & 63) ſed AVG. & CÆS. expreſsè legatur. Accedit deinde, quod hic Decentius tantum Cæſar, & non Auguſtus à fratre dictus fuit; vt etiam hac eius anteriore parte ſatis arguitur. De victoria egimus ſub nummo 85.

72. FL.

72. FL. CLAVD. IVLIANVS LXXII. IMP.

FL. Claudius Iulianus. Apoſtata, patre Conſtantio, Conſtantini Magni fratre, matre Baſilina genitus, ingenio ſublimi & callido, puer ab Euſebio Nicomediæ Epiſcopo, inſtructus, Chriſtianam religionem amplexus eſt. Deinde Libanio Rhetori traditus, fidem Chriſtianam deſerens, Apoſtata vocari meruit. A Conſtantio adoptatus, & Cæſar factus, Gallis præpoſitus, ob res præclarè geſtas, tumultuariè à militibus Pariſiis Imperator ſalutatus eſt. Conſtantio mortuo, aduerſus quem bellum ciuile parabat, totum Imperium adeptus eſt. Erat laudis cupidus: idolatriæ planè deditus: Chriſtianiſque infenſiſſimus: à quorum ſanguine licet abſtineret, tamen blanditiis eos ad impietatem reuocans, pluribus nocuit. Magiſtratibus muneribusque publicis priuatos eſſe voluit. In eorundem odium Iudæis templum Hieroſolymis reſtaurare permiſit. Athanaſium in exilium eiecit. Templa idolorum clauſa reſerauit. Aduerſus Perſas profectus, Conſtantinopolim, & hinc tranſmiſſo Boſphoro, Nicomediam venit: inde in Meſopotamiam ad hoſtes peruenit: commiſſa pugnâ, accepto, ſagitta ex incerto miſſa, vulnere lethali, & manu cruore repletâ Chriſtum blaſphemans, & in aërem ſanguinem proiiciens, dixit: *Viciſti tandem Galilea* (ſic enim Chriſtum vocabat) *viciſti.* Vacuatus paulatim ſanguine, circa noctis medium, epota aqua frigida, infelicem animam exhalauit. 6. Cal. Iulij. Anno ab V.C. 1114. Ch. 363.

Vixit Annos 31.
Imperauit An. 1. M. 7. D. 27.
Sepultus in ſuburbio Tharſi.
Inter Diuos relatus.

72. *Turpe*



72. Turpe eſt ſapienti, cum habeat animum, captare gaudia ex corpore.

APoſtatæ Iuliani pars auerſa præſefert taurum ſiue bouem, cum duabus ſtellis, & hac inſcriptione:

SECVRITAS REIPVB infra *BSIAMP.

Videtur hic taurus indicare reſtitutionem victimarum & hoſtiarum ruminalium, factam ab hoc Apoſtata, cum à Chriſtianis Imperatoribus tales victimæ prohibitę fuiſſent. Alij malint, cum in capite tauri duæ ſignatæ ſint ſtellæ, quod eo Deus Apis deſignatur. Apis in Ægypto, rudes homines colendarum vinearum rationem edocuit: & mira prudentia ibi regnum adminiſtrauit. Poſt mortem pro Deo eſt habitus, eumque Ægyptij ſub viui vituli ſiue bouis imagine coluerunt. Reſponſa autem, non vt reliqua oracula, dare ſolebat: ſed ſi manu oblatum pabulum ſumpſiſſet à conſulentibus, omnia proſpera decernebat: ſin abnueret, omnia ſiniſtra portendebat. Ideo cū à Germanico Imp. pabulum oblatum renuiſſet, funeſtum omen fuit, & indubiam necem, quæ paulò pòſt ſecuta eſt, prænunciauit. Ouidius 3. de Ponto:

Et comes in pompa corniger Apis erat.

Numiſmata Iuliani nonnulla extant.

73. FL. IOVINIANVS LXXIII. R. IMP.

FLauius Iouinianus in Pannonia patre Varromano nat⁹, mortuo in Oriente Iuliano, ab exercitu Imperator electus, non prius nomē Imperatoris profiteri voluit, quam omnes ſe Chriſtianos eſſe, conclamarent. Rerum neceſſitate compulſus, Niſibin, & magnam Meſopotamiæ partem, Sapori Perſarum Regi tradidit, icto cum eo ad triginta Annos ignobili fœdere, non ſine calamitate Imperij Romani, cuius fines tum innouati fuere. Sacerdotes & Epiſcopos, qui ſub Conſtantio & Iuliano pulſi fuerant, & inter eos Athanaſium Magnum, ab exilio reuocauit. Princeps fuit vultu lætiſſimo, oculis cæſiis, vaſta & ardua proceritate, adeò vt diu indumentum regium ad menſuram eius aptum non inueniretur. Chriſtianæ legis fuit ſtudioſus: mediocriter eruditus, beneuolus, & in ſuos propenſus, quos etiam ad dignitatis gradus euexit: Edax tamen & vino Venerique indulgens. Cum perueniſſet ad locum, Dadaſtana ab incolis dictum, (qui Bythinos à Galatis diuidit) atrium récéntis tectorij, vt quieſceret ingreſſus fumo ac nidore carbonum, quos aboleri copiosè iuſſerat, ſuffocatus eſt 13. Cal. Martij. ab V. C. 1115. Ch. 364.

Vixit Annos 34.
Imperauit M 7 D. 22.
Sepultus Conſtantinopoli.
Inter Diuos relatus.

73. *Scopus*



73. Scopus vita Chriſtus.

AVuerſa pars Iouiani Imp. exſculptas habet duas figuras ſedentes, clypeum tenentes, in quo VOT. V. MVLT. X. & infra SIR H. cum hac inſcriptione:

SECVRITAS REIPVBLICÆ.

Hæ duæ figuræ, ſedētes in ſubſelliis, Imperatoris & Imperatricis ſunt. Clypeus, videtur eſſe votiuus, qui à S. P. Q. R. Imperatoribus vouebatur, vt ex nummo Auguſti, cum iſta inſcriptione intelligere eſt, S. P. Q. R. CL. V. id eſt: Senatus, populusq; Romanus Clypeum Vouit. Sic Senatus Claudio II. clypeum aureum, (Trebell. Pollio. teſtante) erexit. Tacitus de Germanici Cæſaris: Suetonius de aliorum clypeis mentionem faciunt. Inſcribebātur in illis Vota, quæ S. P. Q. R. pro Principe conceperant, qua de re egimus ſub nummo 58. Solebant appēdi quaſi vota, in Palatio, vbi Senatores cōueniebant. Inſignia Nobilium hodierno die vſitata, ab his clypeis, & Romanis originē traxiſſe aſſerit Lazius, in ſua præfatione *Reipublicæ Rom.* ad Regem Ferdinandum, &c. his verbis: *Atq; vt intelligat ſacra M.T. à Romana poſteritate, non ab Henrico primo (vt multi opinantur) inſignia clypeorū deſluxiſſe docebo, eos ritus Romanos, &c.* & paulò ante: *Nam & in templis Ducum paſſim, Principumque, atque Heroum, nec non Familiarum inſignia pendentia cernuntur.*

Iouiniani nummi perrari ſunt.

74. VALENTINIANVS LXXIIII. IMP.


VAlentinianus I. apud Cibalas Pannoniæ oppidum, Gratiano patre, ignobili ſtirpe oriundus, à pueritia Funarius cognominatus, eò quod venalem circumferens funem, quinque militibus eum rapere conantibus, nequaquam ceſſerit, ſub Iuliano Tribunum agens, quia diis ſacrificare nòllet, pulſus, cum pro Chriſti fide militiam reliquiſſet, mortuo Iouiniano ab exercitu apud Nicæam in Bithynia Imperator dici meruit. Vir paulò ſeuerior, & auaritiæ nonnihil deditus: Chriſtianæ tamen religionis fuit cultor maximus, pudicus, domi & foris caſtus, ad inferenda propulſandaque bella ſolertiſſimus, in deferendis publicis muneribus cautus, ſermone cultus, munditiarum amans, ſcribens decorè, venuſteque & fingens. Corpus eius lacertoſum, & validum: capilli fulgor, colorisque nitor, cum oculis cæſiis ſemper obliquum intuentibus, atque pulchritudo ſtaturæ lineamentorumque recta compago, maieſtatis Regiæ decus implebat. Bellis vndiq; inſurgentibus, Valentem fratrem conſortem Imperij fecit, eique Orientem regendum tradidit. Procopium mira celeritate oppreſſit. Saxones Oceani accolas domuit. Parthos è Syria per legatos eiecit. Germaniam tumultuātem Theodoſij maioris auſpiciis pacauit. Bregitionem cum veniſſet, audiens legationem Quadorum, ſubita ira accenſus, in obiurgatoria verba, cum magna vocis contentione prorumpēs, in morbum incidit; quo marceſcentibus venis, cum nihil emitti poſſet ſanguinis, voce amiſſa, ſenſu integer expirauit. 13. Calen. Decemb. ab V. C. 1127. Ch. 375.

Vixit Annos 54.

Imperauit An. 11. M. 8. D. 22.

Sepultus Conſtantinopoli.

Inter Diuos relatus.



74. *Francum amicum habeto, vicinum ne habeto.*

IN auerſa parte Valentiniani Imp. nummi, expreſſus eſt ipſe Imperator ſtans, ſiniſtra victoriolam tenens, qui ipſi Imp. à tergo lauream imponit, & figuræ in genua procumbenti, dextram porrigens; addita iſta inſcriptione:

REPARATIO REIP. & infra ASIS.

Occo exiſtimat figuram in genua procidentem, eſſe captiuū; mihi autem videtur quod ſit quædam prouincia, ſiue ipſa Reſpublica, cum in capite coronam aut pòtius mitram habeat, ſtolata ſit, & ipſe Imperator dextra ei porriget, quaſi eam erecturus. Quemadmodum in nummo Veſpaſiani, figura Romæ, in genua procumbens ab Imp. erigi videtur, cum inſcriptione: *Roma reſurgens.* Vt autē illi Veſpaſiano honor ille tribuitur, quod Romam iacentem erexerit, ita hic Valentiniano, quod ab eo *Reſpublica* (vt loquitur inſcriptio) ſit *reparata*: ac ob id à victoriola lauro coronatur. Characteribus ASIS (qui in aliis nummis ſunt TSIS. & SIS.) vult Occo Siſciam vrbem ſignificari, & quod ibi hi nummi percuſſi ſunt: in libris dignitatum (inquit) legitur, *Præpoſitus theſaurorum Siſcianorum Sauia.* & paulò pòſt, *Procurator monetæ Siſcianæ.*

Valentiniani I. numiſmata ſatis frequentia ſunt, ſed pleraque ex ære & auro.

75. FL. VALENS LXXV. ROM. IMP.

FLa. Valens Valentiniani frater, ab eo collega Imperij & Auguſtus declaratus, Orientis bella geſſit. Procopium temerè imperium inuadentem deuicit. Inſtinctu Dominicæ ſuæ coniugis, ab Eudoxio Arriano Epiſcopo baptiſmum ſuſcipiens, Catholicæ religioni ſemper inimiciſſimum ſe exhibuit. Ad Necromantiam conuerſus, ſcire cupiens quiſnam ſibi ſuccederet in Imperio, oraculum à Dæmone flagitans, quatuor literas ſibi oſtenſas vidit, Θ Ε Ο Δ. Quam ob cauſam, eos potiſſimum occidebat, quorum nomina literis hiſce ſcribebantur. A Valentiniano ſæpius monitus, vt à ſecta Arrianorum ſeſe ſubtraheret, non modò non deſtitit, ſed magis etiam in Chriſtianorum perniciem inflammatus eſt. Contra Scythas & Gothos, qui omnia cædibus & incendiis longè lateque complebant, cum prælium parum cautè commiſiſſet, in Thraciam, Romanis legionibus ad internecionem deletis, ipſe ſagitta ſaucius fugiens, & ob dolorem ſæpius equo decidens, propè Hadrianopolim, in quoddam vile tugurium deportatus eſt: iuxta quod cum ſtrues palearum eſſet, cumulata, peruenientibus eo barbaris, & ignem iniicientibus, flammis abſumptus eſt. 5. Id. Aug. ab V. C. 1130. Ch. 378.

Vixit Annos 50.

Imperauit { cum Valentin. An. 11.
post eius mortem An. 3. M. 8. D. 25.

Sepultus......

Inter Diuos relatus eſt.



75. Suſpicionibus ſecurus.

AVerſa pars Valentis Imp. repræſentat figuram militarem, captiuum dextra crinibus trahentem, ſiniſtra labarum gerentem, cum inſcriptione:

GLORIA ROMANORVM. & infra OBSISC.

Figura ſtans, Imperatoris eſt, qui, quaſi victor captiuum crinibus trahit. Captiuus autem videtur Procopius tyrannus eſſe, qui erat Conſtantinopolitanus Bithyniæ præſes, & inſurgens cōtra Valentem Imp. apud Natoliam Phrygiæ ciuitatem, in eius poteſtatem cum exercitu venit, proditus à duobus militibus: alligatusq́ue deinde duabus per vim reflexis arboribus, diſcerptus eſt. De proditoribus etiam ſumptum ſupplicium, Hiſtoria Tripart. & Ammian. lib. 26. OB. SISC. volunt, Obſignatum aut Obrizzum Sciſciæ.

Numiſmata Valentis ſunt rara. Hánc auerſam partem habuit Ortelius ex ære, excepto quod infra erat L. V. C. V. S.

76. FL. GRATIANVS, LXXVI. ROM. IMP.

FLau. Gratianus patre Valentiniano, & Seuerina matre, Sirmij natus; à patre, contra morem antiquitus inſtitutum, non Cæſar, ſed Auguſtus appellatus, Occidentis Imperium adminiſtrandum ſuſcepit. Princeps ab ipſa adoleſcentia diuino cultui, pietatique Chriſtianæ deditus, modeſtiæ pudicitiæque laude cum primis clarus, in literis, haud mediocriter verſatus. Poeta & Orator non vulgaris, pacis amans, cibi, potus, ac libidinis victor, & iaculatoriæ artis peritiſſimus. Treueri agens, Valentinianum fratrem iuniorem, Cæſarem, participemque Imperij declarauit: Theodoſium magiſtrum militum, ex Hiſpania accitum contra Gothos in Thraciam miſit, cumque poſt rem feliciter geſtam conſortem Imperij fecit, curâ Orientis ei commiſſa, Occidentem cum Valentiniano fratre, ſibi gubernãdum reſeruauit. Cæterum cùm ſe otio, quietique tradidiſſet, & à gerenda Rep. ſe alienorem oſtendens, paucos ex Alanis, quos ingenti auro ad ſe tranſtulerat, veteri ac Romano militi adeò prætuliſſet, vt nonnunquam eorum habitu, iter faciens, vteretur, maximum ſibi odium apud ſuos conflauit, quorũ magna pars cum ad Maximum qui apud Britanniam tyrannidem arripuerat, defeciſſet, ipſeque Gratianus contra hunc Maximum expeditionem ſuſcepiſſet, inopinata proditione territus, fugaq; fruſtra euadere conatus, Lugduni à Maximo interfectus eſt. 8. Cal. Septemb. ab V.C. 1134. Ch. 383.

Vixit Annos 24.

Imperauit { cum patre & patruo An. 4.
post eorum mortem An. 4. M. 7. D. 10.

Sepultus Conſtantinopoli.

Inter Diuos relatus.



76 *Non quam diu, ſed quam benè.*

NVmiſma Gratiani Imp. habet ab auerſa parte figuram militarem, dextrâ Labarum, ſiniſtrâ Peltam ſiue ſcutum tenentem, cum hac inſcriptione:

GLORIA NOVI SÆCVLI. infra TCON.

Videtur hoc ſeculum nouum dici, eò quod hic Princeps pacificus, omnia illa, quæ eius anteceſſor confusè ſubmouerat, iterum maxima diligentia reſtituerit, & ſumma prudentia rexerit & conſeruauerit. Eunomianis, Manichæis, aliiſque hæreticis, inimiciſſimus fuit. Catholicos Epiſcopos à Valente in exilium miſſos, reuocauit, & priſtinis officiis reſtituit. Eccleſias à Gotthis & aliis deſtructas, reædificauit. Princeps plane pius, & veræ religionis cultor. Apud Argentoratum in Galliis admodum iuuenis, ſupra triginta millia Alemanorum, qui fines Imperij vaſtabant, longè impari militum numero, Deo duce profligauit. Quapropter rectè, *Gloria noui ſæculi* dicitur.

Gratiani numiſmata pauca extant.

77. MAGNVS MAXIMVS. LXXVII. ROM. IMP.

78. VALENTINIANVS. LXXVIII. ROM. IMP.

MAgnus Maximus ex proſapia Conſtantini Magni oriundus, vir peritia rei militaris clarus, Romani exercitus Dux ſtrenuus, ab eodem in Britannia inuitus ac reluctans, (quod Gratianus militibus inuiſum ſe reddidiſſet) Imperator electus, Gallias ex improuiſo adortus eſt. Vir alioquin probus, & qui non admodum malè Imperium adminiſtrauit, niſi quod periurio ac tyrannide pollutus fuit. Nam Gratiano per inſidias oppreſſo, ingenti cum exercitu in Italiam properauit, cupiens Romam in ſuam poteſtatem redigere. Id metuens Valentinianus Iunior, de obitu Gratiani fratris certior factus, cum matre Iuſtina, Conſtantinopolim fugit, & generi ſui Theodoſij opem auxiliumque implorauit, qui inſperatò per Alpes inuias, Aquileiam, vbi tunc Maximus fœlici rerum ſucceſſu exultans degebat, cum exercitu veniens, Maximum à militibus captum, vinctum, ſibique traditum, interfici iuſſit. 6. Cal. Septemb. An. V.C. 1139. Ch. 388.

Vixit Annos......

Tyrannidis occup. An. 5.

78. VALENTINIANVS II. LXXVIII. ROM. IMP.

Valentinianus Iunior Valentiniani Imperatoris ex vxore Iuſtina filius, à Gratiano fratre, poſt obitū patris, conſors Imperij factus, in Italiāq; miſſus eſt. Gratiano dolis Maximi interfecto, ſibi metuens in Illyricum primò, deindè in Orientē ad Theodoſium cōfugit: cuius ope Maximo ſublato, nō modo fratris necē vltus, ſed & Imperij quietē adeptus eſt. Iuſtinæ matris inſtinctu, Arianam perfidiā amplexus: viuēte fratre clā, eo mortuo palā, clariſſi-





77. Periclitatur, qui fugit periculum.

78. Nouos parans amicos, ne obliuiſcaris veterum.

IN auerſa parte numiſmatis Mag. Maximi, conſpicitur typus Romæ ſedens, cum caſſide in capite, globum dextrâ tenens, cui inſiſtit victoriola eam coronans, ſiniſtrâ haſtam, & hæc inſcriptio:

VIRTVS ROMANORVM. infra TR. P. S.

Romæ ſtatua, vti diximus ſub nummo 66. à veteribus pro Dea honorabatur. Sedens hîc figurata eſt, quò demonſtratur eius ſecuritas. Globus quem in dextra habet, indicat eam totius mundi eſſe gubernatricem. Victoriuncula inſiſtens globo, Romæ,

clariſſimum Eccleſiæ Doct. D. Ambroſium perſecutus eſt, cupiens eum ex ciuitate Mediolanenſi remouere. Multa præterea in Chriſtianos molitus eſt: fruſtra eum Theodoſio monente, ne matri in defendenda Arriana impietate aſſentiretur, ſed paternam potius pietatē ſectaretur, qui Eccleſiam Orthodoxam, ſemper fuiſſet tutatus. Ex Italia in Galliam profectus, Victorem Maximi filium, quem pater copiis ibi præfecerat, interemit: dumque Viennæ negligentius moraretur, ab Eugenio, olim quidem Grammatico, poſtea vero Tribuno, Arbogaſti Alanorum præfecti fraude pecuniaque corrupto, noctu in cubiculo, clam ſtrangulatus eſt, rumorque ſparſus eum ſibi mortem voluntariam conſciuiſſe. id. Maij. ab V.C.1143.Ch.392.

Vixit Annos 26.

Imperauit { cum Valente & Gratiano Annos 8. circiter. Poſt eorum obitum An.8. M.8.D.22.

Sepultus Mediolani.

Inter Diuos relatus eſt.

Etſi præcedentes 23. Impp. qui circiter an. 90. plus minus imperauerunt, Chriſtiani fuerint, tamen plerique more Ethnico, inter Diuos relati ſunt, inter quos hunc Valentinianum II. fuiſſe vltimum, Onuph. Panuin. Rom. Princ. lib. 1. author eſt.

mæ,

næ, quaſi victrici orbis terræ, laurum imponit. Haſtâ autem, fortitudo eius deſignatur. De Galea, vide nummum vt ſupra. Hi characteres, T R P. S. (teſtante Velſero Rerum Auguſt. lib. 7.) hoc volunt: *Treuiris pecuniam ſignatam eſſe.*

78. Valentiniani II auerſa pars habet eâdem Vrbis ſtatuam, hac tantum differentia, quod hæc panopliis inſideat, & hâc ſit inſcriptione:

VRBS ROMA. infra LVG. P. S.

Goropius Becanus in Vertumno, vult Ianum (qui & Noe) aut Saturnum imperij maieſtatem ex Hetruria Romam tranſtuliſſe, & nomen Romæ, non à Romulo eſſe, (quod tamen ferè omnes tradunt authores) ſed Saturnum illius authorem fuiſſe, præſcium eam ſummum in vniuerſum terrarum orbem imperium habituram eſſe.

Characteres LVG. P. S qui infra leguntur, deſignat nummum cuſum fuiſſe Lugduni Galliarum.

Mag. Maximi & etiam Valentiniani II. nummi rariores ſunt.

79. FL. THEODOSIVS LXXIX. ROM. IMP.

THeodoſius I. patre Honorio, matre Thermantia, in Hiſpania natus; originem à Traiano principe trahens, ex Hiſpania à Gratiano accitus, Imperatorq; apud Syrmium Pannoniæ vrbem creatus eſt. Hunnos & Gothos, qui Remp. continuis armis penè oppreſſerant, diuerſis prælijs vicit. Maximum Tyrannum, Gratiani interfectorem, apud Aquileiam extinxit. Victorem quoque eius filium necauit, Valentinianoque imperium aſſerui. Eugenium Tyrannum & Arbogaſtum, Valentiniani necem vlciſcens ſuperauit, deletis parua militum manu decē millibus, etiam ventis pro eo pugnantibus. Princeps Chriſtianæ Religionis obſeruantiſſimus. Propter cædem ſeptem ferè millium hominum Theſſalonicæ, dum vnius chari militis mortem, qui in ſeditione ciuili ibidem perierat, vendicare vellet, perpetratam à Diuo Ambroſio, aditu templi prohibitus publicam pœnitentiam cum magna humilitate egit. Vultu, moribus & ſucceſſu Traiano per omnia ſimilis. Clemēs, miſericors, pudicus, in omnes honorificus, præſertim in bonos. Grauitatem cum humanitate, mira quadam arte coniunxerat. Literis mediocriter inſtructus, in rei militaris diſciplina ſagax fuit. In omnibus denique vitæ actionibus talem ſe præbuit, vt nullum optimi, vereque Chriſtiani Principis munus in ſe deſiderari paſſus vnquam fuerit. Domitis tyrannis, pacataque Rep. filios conſortes, imperij fecit, Arcadium Orienti, Honorium Occidenti proficiens. Et quia ætas vtriuſque nondum imperio maturo erat, Rufinum Arcadio, Stiliconem Honorio commiſit. Ipſe vero Mediolani vitam quietam ducens, deceſſit. 16. Cal. Februarij An ab V.C. 1146. Ch. 395.

Vixit Annos 50. vt alij 60.

Imperauit { cum Grat. & Valentin. An. 13.
post ipſorum mortem An. 2. M. 8. D. 5.

Sepultus Conſtantinop. in Baſil. Apoſt.

79. Ero-



79. *Eripere telum, non dare irato decet.*

PArs auerſa Theodoſij Imp. exhibet victoriam galeatam ſedentem, dextra haſtam, ſiniſtra victoriolam tenentem, duobus tantum vocabulis hiſce circumſcriptam:

CONCORDIA AVGG. infra CONOB.

De victoria vide num. 21. De Concordia autem 34. & 35. Hæc deſcriptio AVGGG. Concordiam trium Auguſtorum hoc tempore imperantium deſignat. Gratiani puta & fratris eius Valentiniani II. qui in Occidente, & huius Theodoſij, qui in Oriente rerum potiebatur. Gratianus enim (qui ſolus Auguſtus à patre, Valentiniano & patruo Valente, relictus fuerat) Imperator digniſſimus & liberaliſſimus, ſua ſponte fratrē Treueris participem imperij fecit, eique Occidentem tradidit, & cum ipſe Orientis imperio præeſſet, illud Theodoſio etiam tradidit; ſicque maxima concordia imperium ſimul adminiſtrarunt. De verbo CONOB. lege ſub num. 92.

Theodoſii I. nummi facile reperiuntur.

80. ARCADIVS LXXX. ROM. IMP.

ARcadius Theodoſij Imperatoris ex Flaccilla vxore, filius natu maximus, ab eodem conſors Imperij factus, Orienti præfuit. Cumque per ætatem eum Imperio gubernando non eſſe videret, Rufino viro conſulari inſtituto & teſtamento tutori, tradidit. Qui cùm vafro & ad omne ſcelus audendum præditus eſſet ingenio, mortuo Theodoſio, cum magnâ ſibi potentiâ comparata, fidei, quam Arcadio debebat, oblitus, etiam de conſequendo imperio nefariam cogitationem ſuſcepit. Et ne rebus turbatis deprehendi facile poſſet, clam muneribus miſſis, Alaricum Gotthorum Regem, ad inferendùm Arcadio bellum ſollicitauit. Verum comperta proditione, dum defuncti Theodoſij corpus vrbi Conſtantinopolitanæ inferretur, & Arcadius ei obuiam ad portam proceſſiſſet, Rufinus à militibus Italis, tutor occiſus eſt. Pari pœna Caianus Comes, qui ciuili bello Arcadium adortus, Conſtantinopolim flamma, ferroque vaſtauerat, affectus eſt. Arcadius autem relicto ex Eudoxia Theodoſio octo annorum filio, & tribus filiabus, Flaccilla, Martina, & Pulcheria, Bizantij mortuus eſt. Cal. Maij. V.C. 1159 Ch. 408.

Vixit Annos 31.

Imperauit { cum patre An. 2. circiter.
poſt obitum An. 13. M. 3. D. 16.

Sepultus Conſtantinop. in Baſil. Apoſtol.



80· *Maxima paulatim ex minimis, minima ſubitò ex maximis.*

ARcadij Imp. auerſa pars præſefert figuram militarem, dextra tenentem labarū, ſiniſtra globum, & pede ſiniſtro quendam proterentem, cum inſcriptione:

VIRTVS EXERCITI. infra ANTR.

Figura militaris, in hoc nummo ſtans, cum habeat labarum, ſignum Imperatoris, ipſum Arcadium Auguſtum repræſentat. Proſtrata autem, perfidum Rufinum tutorem eius, qui cum cupiditate imperij incenſus, Arcadium Imp. ſuum pupillum prodere voluiſſet, à militib. Imperatoris occiditur. Caput cum dextera præciſum, ante Conſtantinopoleos portas ſuſpenſum, ſpectaculo, riſui, ludibrioq́ue expoſitum fuit. Itaque nummus in laudem & gloriam exercitus & militum cuſus fuiſſe, meritò videri poſſit. ANTR. forte eſt: Argentum nouum Treuirenſe.

Numiſmata Arcadij ſunt rara.

HOnorius Arcadij german⁹ frater, natu minor, à patre Theodoſio, Occidenti præfectus, Vandaloq; Stiliconi, in curam traditus, infelici, poſt obitum patris, rerum ſucceſſu vexatus eſt. Nam Gildo regnum Africæ adeptus, ætatem Imperatoris aſpernatus, ad imperium animum adiecit: quem tamen fratris Maſcezelis ductu ſuperatum, interfecit Honorius: rebellantem autem Maſcezelem, auſpiciis Bonifacij itidem vicit. Stilico magnæ auctoritatis vir, opibus præpotens, militariſque diſciplinæ ſcientiſſimus, tutor & ſocer Honorij, cum imperio exuere cupiens, vt illud filio ſuo Eutropio pararet, Sueuos, Vandalos, & Alemannos magna ſpe prædæ ſollicitauit, & in Honorium cõcitauit. Alaricus ſuffectus, Radagiſſo conceſſa ſibi, amicitiæ firmandæque pacis gratia ab Honorio Gallia ad inhabitandum, cum fraude Stiliconis petitus & irritatus eſſet, ferè totã Italiam diripuit, Romamque cœpit & deuaſtauit, Anno Chriſti 403. principatus Arcadij, & Honorij anno quarto: Edixerat in vrbis vaſtatione Alaricus, vt quicunque in templa Diuorum confugiſſent, præcipuè Petri & Pauli, his nulla vis inferretur: quod & ſumma fide ſeruatum eſt. Honorius accepit in conſortem imperij Conſtantium virum ſtrenuum, eique ſororem Placidiam deſponſauit: qui Gratianum in Britannia, Conſtantium cum filio Conſtante, in Gallia tyrannos ſuſtulit: Barbarorumque impetus, qui Galliam, Britanniam, Hiſpaniamque infeſtabant, domuit: Honorius, morbo aquæ intercutis, nulla prole ſuperſtitẽ relicta, deceſſit 18. Cal. Sept. An. ab V.C 1174. Ch. 422.

Vixit Annos 43.

Imperauit { cum patre & fratre An. 15. M. 3 D. 21.
poſt ipſorum obitum An. 15. M. 3 D 15.

Sepultus Romæ, in Baſil. S. Petri.



81. *Malè partum, malè diſperit.*

IN auerſa parte nummi Honorij Imp expreſſa eſt figura dextra labarum, ſiniſtra Globum tenens, ad cuius pedes captiuus manibus reuinctis cernitur, cum inſcriptione:

TRIVMFATÓR GENT. BARB. infra KADPS.

Eum ex Sambuco ſumpſimus. Figura ſtans in eo exculpta, labarum dextra gerens, Honorij Imperatoris eſt: captiuus autem, in genua proſtratus Barbari Radagaſſi ſiue Radagiſi regis Alemannorum perſonam repræſentat, qui in ſuo exercitu ſub ſignis ſupra ducenta bellatorum millia habuiſſe dicitur. Vide Paul Diacon. vaſtãs Italiam, vota ſuis idolis feciſſe fertur, quod ſanguinem humanum ſuorum hoſtium, iis ſacrificare vellet. Tandẽ ab Vldino & Saro fugatus & captus, in carcere ſtrangulatus eſt, cui Alaricus ſubrogatur, lege vitã Honorij. K A D.P.S. forſitan dicũt Kadomi (quæ Galliæ vrbs eſt, quam hodiè Caen vocant) pecunia ſignatur.

Honorij nummi pauci extant.


82. THEODOSIVS II. ROM. IMP. LXXXII.

THeodoſius iunior, Arcadij & Eudoxiæ filius, penè puer à patre conſors imperij factus, eo moriente ſub Iſdigertis Regis Perſarum tutela, qui eam ſumma fide quoad vixit, geſſit, relictus, vix dum octo annos natus, Anthemio præfecto viro prudentiſſimo duce, imperium adminiſtrare cœpit. Honorio mortuo, Valentinianum conſobrinum, Conſtantini & Placidiæ filium, Cæſarem fecit: dataq; ei vxore Eudoxia filia, Romam miſit, ad pacandas res, quæ Tyrannorum quorundam libidine turbatæ non mediocriter fuerant. Vxorem habuit Eudoxiam Leonis Athenienſis Philoſophi filiam, quæ præter egregiam formam, ſingularemque pudicitiam etiam literarum non vulgari peritia excelluit. Attila Hunnorum Rege Thraciam atque Illyricum vaſtante, Theodoſius ad eum legatos miſit, ſex millia librarum auri numerans, & mille quotannis libras numeraturum ſe promittens, vt ab incurſionibus deſiſteret. Princeps vitæ integerrimæ, in primis Chriſtianæ religioni addictus, lectioni ſacræ intentus, cum Epiſcopis presbyteriſq; piis familiariter admodum viuens, patientiæ, clementiæq; laude adeò celebris, vt capitis damnatos ne ad portas quidem adduci permiſerit, ſed reuocauerit. Tertia Synodus vniuerſalis Epheſina ducētorum patrum, eius iuſſu collecta eſt, in qua Neſtorius duas perſonas in Chriſto eſſe aſſerens, condemnatus fuit. Hoc principe Venetiæ fœliciſſimis auſpiciis mediis in aquis inhabitari cœperunt. Correptus febre apud Conſtantinopolim, mortuus eſt 5. Cal. Aug. V.C. 1201. Ch 449.

Vixit Annos 49. M. 3. D. 19.

Imperauit { cum patre & patruo An. 20. circiter.
post ipſorum obitum An. 26, M, 11. D. 14.

Sepultus Conſtantin. in Baſil. Apoſt.



82. *Præſentem fortunam boni conſule.*

AVerſa pars Theodoſij II. exprimit duos Cæſares in ſubſellio ſedentes, dextris globum tenentes, & Victoriam alis apertis à tergo ſtantem, cum hac inſcriptione:

VICTORIA AVGG. infra TR.OB.

Imperatores ſunt Theodoſius II. & Valentinianus III. Nã ſtatim Theodoſius poſt patris Honorij mortẽ, Valentinianum III. conſobrinum ſuum Cæſarem fecerat, & in Occidentem miſerat. Globo quem dextris tenent, mundi gubernatio, ab eis adminiſtrata, deſignatur. Victoria à tergo alis paſſis innuit, eam & vnum & alterum Imperatorem in ſua protectione habere, & ſuam opem vtriq; offerre. Quod & inſcriptio indicare videtur. TR.OB. hoc volunt: Treuiris, obrizzum, aut obſignatum.

Nummi Theodoſii iunioris rariſſimi ſunt. Qui omnes ex auro (quantum quidem ipſe obſeruare & ex aliis colligere potui) hanc noſtram, & alteram tantum habent auerſam partem.

83. VALENTINIANVS III. LXXXIII. IMP.

VAlentinianus III. Conſtantij Cæſaris & Placidiæ, Honorij & Arcadij ſororis, filius, à Theodoſio Cæſar & Auguſtus appellatus, Romam miſſus, Ioannem Imperatorem factum oppreſſit: cum Genſerico Vandalorum Rege, parte Africæ, vt videri voluit, contento, pacem ſanxit: aduerſus Attilam Hunnorum Regem, Imperio orbis inhiantem, bellum ſuſcepit. In campis Catalaunicis acerrimè pugnatum eſt, vtrinq; cæſis centum quadraginta quinque millibus: victoria tamen penes Romanos ſtetit, ductore Aetio: qui in affectatæ tyrannidis ſuſpicionem adductus, Maximi viri potentiſſimi artibus, vel vt alij volunt, iuſſu Valentiniani, occiſus eſt. Eius cædem vlciſci volentes Tranſtyla & Octyla eius commilitones, ipſum Imperatorem poſtmodum Romæ CampoMartio Maximi conſilio: qui ſtatim Imperium arripuerat, confoderunt. Verùm & ipſe, à populo Romano tertio poſt menſe membratim cæſus eſt. Circa hæc tempora, penitus collapſum erat Imperium Occidentale, Francis Gallias, Scotis & Anglis Britanniam, Hunnis Europam occupantibus, & Gotthis ſiue Vandalis Africam atque Romam vaſtantibus. Imperium Occidentale vſque ad Iuſtinianum tenuerunt. Quamuis autem multi conſtituti ſint Imperatores partim ab Imperatoribus Conſtantinopolitanis, partim à Senatu, partim ab exercitu: quidam etiam ſua auctoritate arripuerint Imperium: tamen in ſerie Imperatorum, non numerantur Occidentales, vſque ad Carolum Magnum, & ſic vacauit hoc Imperium, per annos ferè 347. Sequuntur itaque iam Imperatores Orientales ſiue Conſtantinopolitani. Necatur Valentinianus à ſuis militibus. 16. Cal April. V.C. 1206. Ch. 455.

Vixit Annos 35. M. 8. D. 8.

Imperauit { cum Theod. II. An 24. circiter. / poſt eius obitum An. 5. M. 8.

Sepultus......



83 *Omnia mea mecum porto.*

VAlentiniani III. numiſma, ab auerſa parte expreſſam habet crucem, & ſubſcriptionem.

COMOB.

Etſi numiſmata horum poſteriorum Cæſarum difficulter reperiuntur: Valentinianorum tamen extant; quanquam non iſtius tertij. Hanc auerſam partem ſumpſi ex Antonij Auguſtini libro in folio Romæ 1600. edito. Eſſe vero iſtius tertij, ſatis indicat, inſcriptio anterioris partis: DN Pla. Valentinianus, Placidius cognominabatur à matre Galla Placidia, Iuſtiniani I. filia. Crux Chriſtianorum ſignum in pleriſque Imperatorum poſteriorum numiſmatibus, exemplo Conſtantini Magni reperitur, de quo egimus ſub num 69 & 70. COMOB. quid velit: vide in explicatione num. 99. Ars cudendi hic prorſus interiiſſe videtur, cum Imperij dignitate: quam amiſſam ſub hoc Imp. his verbis deplorat Micyllus:

Hoc cadit omne decus ſub principe, Saxo Britannos,
Gallica Francus init Bethica regna Gothus.
Vandalus hinc Atros, Italos hinc Attila vaſtat,
Ipſe cadit Cæſar, militis enſe ſui.

Valentiniani III, nummi admodum rari & cari ſunt.

84. FL. VAL. MARCIANVS. LXXXIV. IMP.

FLauius Valerius Marcianus, humili genere natus, militia tamen clarus, prima ſtipendia meruit in Lycia. Pulcheriæ, Theodoſij ſororis ſtudio, imperio præficitur. Moderatus Princeps & rebus gerendis idoneus, ſi per ſenectam diutius viuere potuiſſet. Imminutum Orientis imperium, prudentia dexteritateque inſtaurare cœperat. Cum Parthis & Vandalis fœdus percuſſit; Attilæ minas compeſcuit: arma nunquam niſi prouocatus mouit, illud ſæpe vſurpans: *Dum in pace eſſe poſſumus, arma non induamus.* Tatianum & Iulium fratres, qui olim aquilæ ſuperuolantis auſpicio ægrum inopemque viatico ducentorum aureorum ſubleuauerant, Illyrico beneficij memor præfecit. Hoc principe rerum potiente Chalcedonenſis quarta Synodus, aduerſus Eutychen & Dioſcorum, celebrata eſt. Circa hæc tempora Viſigotthæ cum rege Theodorico Hiſpanias inuaſerunt. Moritur Marcianus conſpiratione Aſparis, qui venenum ei miniſtraſſe dicitur. 7. Cal. Feb. ab V. C. 1208. Ch. 457.

Vixit Annos
Imperauit An. 1. M. 10. D. 10.
vel vt alij An. 6. M. 6.
Sepultus Conſtant. in Baſil. Apoſtol.

Marciani numiſmata cariſſima ſunt.



84. *Pax bello potior.*

ANterior pars nummi prioris, ex Goltzio deſumpta eſt. Cuius poſterior habet victoriam, & inſcriptiónem:

VICTORIA AVGGG. S. infra CONOB.

Alterum numiſma, vidi ex ære apud Iac. de Künig, antiquarium apud Venetos experientiſſimum: à quo etiam plurimas auerſas partes poſteriorum Cæſarum accepi. Nunquam Imperatorum poſteriorum, pulchriorem ſeriem eâ quam habet, alibi videre mihi contigit. In auerſa parte conſpicitur Dea Pax. Inſcriptio autem ab inuida vetuſtate nimis attritis characteribus, legi à me quidem non poteſt.

85. LEO I. ET II. ROM. IMP. LXXXV.

LEo Magnus, Græcanici ſanguinis primus, ex Tribuno militum, ſuffragiis & factione Aſparis, Imperator factus, vt Ardaburium Aſparis filium Cæſarem crearet, quod inuitus fecerat; quo Ardaburio vnà cum patre à populo interfecto, in eius locum, Leonem ſuum ex Ariadna & Zenone nepotem, ſuffecit. Aduerſus Genſericum Vandalorum Regem infeliciter dimicauit, duce Baſilico: qui ſiue ignauia, ſiue proditione, nauali prælio victus, fugam turpiter arripuit. Eo imperante Byzantium magna ex parte conflagrauit. Italia in perpetuis motibus verſata eſt. Vir multis egregiis virtutibus ornatus, præcipuè verò erga afflictos, miſeratione: cum illud ſemper in ore haberet. *Quemadmodum ſol cunctis, quæ illuſtrat, nonnihil impertit caloris, ſic Principem debere eos, ſua dignari miſericordia, quos contuetur.* Moritur in Ianuario, ab V.C.1226.Ch.474.

Vixit Annos......

Imperauit An.17.M.

Sepultus Conſtantin.in Baſil.Apoſtol.

Leo iunior ab auo puer relictus, vix anno Imperio præfuit. Nã cum eſſet valetudinarius, Zenoni patri, nouo pietatis exemplo, manibus ſuis diadema impoſuit, patremq; pro ſe deinceps imperare iuſſit.

Leonis aui & nepotis nummi perrari ſunt.



85. { Aui *Regis clementia virtus.*
Nepotis *Amicum poſſide, vt inimicum fieri poſſe putes.*

IN parte auerſa Leonum aui & nepotis, conſpicitur figura victoriæ alata, dextra crucem tenens, ſiniſtra Victoriolam, cum inſcriptione:

VICTORIA AVGG. & infra COMOB.

Victoria pro Dea à vetuſtate honorabatur, & illam pennatam & aligeram pinxit, vt è cœlo deuolantem ad eos quos ſuis ornare ſucceſſibus vellet: hinc Auſonius:

Tu quoque ab æthereo prapes victoria lapſu.

Et Prudentius:

Marmoreo, in templo rutilas victoria pennas
Explicet, è multis ſurgat famata talentis.

Victoriæ plerunque aureæ & auratæ ponebantur, easque quædam ſimulachra interdum ſuis manibus ſuſtinebant, geſtatæ autem ab aliis ſimulachris coronam aut pateram habebant, vt hic & num. 57. 61 64. 74. 77. & 78. conſpicitur. De COMOB, vide ſi placet nummum 99.

86. ZENO ROM. IMP. LXXXVI.

ZEno, ex Iſauris Ciliciæ, obſcuro genere, incognita villa ortus, à Leone filio dignitatem imperialem aſſequutus, non minus facie quàm moribus deformis, non vt Auguſtus, ſed vt tyrannus imperauit: cuius crudelitatem fratris Cononis, humani ſanguinis fundendi cupiditas incredibilis, magis etiam auxit. Theodoricum Oſtrogothorum Regem, cum vnicè diligeret, Conſulem prius à ſe factum, contra Odoacrem in Italiam miſit: quo ad Rauennam ſuperato, & extincto, Theodoricus regno Italiæ potitus, ab obuio Senatu populoque Romano exceptus, plurimumque dilectus, gratuita liberalitate, caritatem annonæ fugauit, multa vrbis ædificia inſtaurauit; & ſi à quorundam Senatorum ſanguine abſtinuiſſet, optimi Principis nomen ſibi facile comparaſſet. Zeno autem à Baſiliſco, factione vxoris pulſus, cum in Iſauriam conceſſiſſet, vitamq; priuatam inſtituiſſet, non multò pòſt, magno ciuium, qui Baſiliſci tyrannidem ferre non poterant, fauore reuocatus, eundem Baſiliſcum expulit, inediaque mori coëgit. Hoc Principe incendium tantum fuit, vt præter maximam Vrbis Conſtantinopolitanæ partem, centum & viginti millia librorum combuſta ſint, inter quæ & Homeri poëma, inteſtino Draconis 120. pedū, aureis literis deſcriptum. Ipſe Zeno, miſerabili morte interiit. Sunt enim qui viuum adhuc ab vxore ſepulchro incluſum, fruſtraque reſipiſcentem, & opem quæritantem, obiiſſe tradant. 8. Id. Apr. ab V.C. 1242. Ch. 491.

Vixit Annos......
Imperauit An. 17 M. 2. D. 7.
Sepultus Conſtantinopoli.



86. *Malo nodo, malus cuneus.*

AVerſa pars numiſmatis Zenonis Imp. præſefert figuram Victoriæ, vt numus præcedens, & eiuſdẽ etiam inſcriptionem:
VICTORIA AVGGG. infra CONOB.


Libentius hic appoſuiſſemus aliam partem auerſam, niſi materia nos defeciſſet. Nam vt diximus, hi poſteriorum Imperatorum nummi admodum ſunt rari: & ipſe Occo duas tantum inſcriptiones auerſarum partium numiſmatum Zenonis exhibet. Hanc eandem inſcriptionem habent omnes ſequentes numi, vſque ad Theodoſium III. qui numero ſunt plus minus 20. Habent etiam pleriq; figuram Victoriæ, vt etiam Occo obſeruauit, quod factum exiſtimo, non quod ab his Imperatoribus, iam Chriſtianis, Victoria pro Dea (vt aliquando à veteribus) honoraretur: ſed quod circa hæc tempora ars pingendi, ferè omnino in deſuetudinẽ veniſſet, & cunei ſiue typi, ad formandũ numos deficerent, CONOB. explicatur ſub num. 92.

Numiſmata Zenonis difficulter recuperantur.

87. ANASTASIVS ROM. IMP. LXXXVII.

ANaſtaſius humili genere natus, Dicorus à diſcoloribus oculorum pupillis appellatus, ſtudio Ariadnes vxoris Zenonis ad Imperium Orientis euectus eſt. Anno Chriſti 491. Eam Ariadnem matrimonio ſibi copulauit. Iſauros apud Conteianum Phrigiæ oppidum, ſuperauit, ac vrbes eorum ſolo æquauit. In Illyrico cum Sabiniano & Mondone ad Margum, cum Pompeio apud Adrianopolim cum, Ariſto ad Zartam, cum Parthis in Syria decertauit. Contra Vitalianum ad Aquilonem bellum geſſit, & cum nonaginta pondo auri ei miſiſſet, eum quieſcere coegit. Getæ, Macedoniam, Theſſaliam, Epirum, diripuerunt, multosque captiuos abduxerunt, pro quibus redimendis, cum aurum miſiſſet Anaſtaſius, & non ſufficeret hoſtium votis, barbari captiuos, aut in domibus ſuffocarunt, aut pro mœnibus in conſpectu multitudinis trucidarunt. Bulgarorum arma tunc primum audita, & Sarraceni Alamundaro duce, Syriæ graues incubuere. Anaſtaſius primò Chriſtianæ religionis ſtudioſiſſimus fuit, poſtea Ariadnæ vxoris operâ mutatus, Eutychianæ hæreſi adhæſit. Fulmine ictus interiit. 6. Id. Iulij, V. C. 1270. Ch. 518.

Vixit Annos 88.
Imperauit An. 27. M. 3. D. 3.
Sepultus Conſtantinopoli.



87. *Habet ſuum venenum blanda oratio.*

AVerſa pars numiſmatis Anaſtaſij I habet Coronam laureã, quæ victoriæ indicium erat, in cuius medio duplex videtur crux, ſiue ſtella. Deſumptus eſt hic nummus ex quodam aureo minimæ formæ. Oſtendit autem inſcriptio anterioris partis huius nummi, quem ego habeo, quam verum ſit, quod antea de horum temporum barbarie & cudendi inſcitia adnotaui. Nam pro ANASTASIVS hic exhibetur ANA TA-IVS. *Iam labente Imperio* (ſcribit Lazius) *imo Barbari reges gentium ad Imperij ſocietatem aſciti ſunt.* Nam Anaſtaſius Conſtantinopolim Imp. Clodouæo Francorum regi bracteum pallium, tum curuli diademate & purpura, in Gallias miſit: & Imperij partem illam in Occidentem verſam, quam ea tamen gens multo antè armis compararuerant, obtulit, vt Procopius eſt author.

Anaſtaſii nummi etiam ſunt rariſſimi.

88. FL. AN. IVSTINVS ROM. IMP. LXXXVIII.

FL. Anicius Iuſtinus ex Thracia, parentibus ignobilibus natus, à teneris annis ſuum, deinde boum cuſtos, poſt lignarij cuiuſdam miniſter, decimo ſexto ætatis anno, ad militarem diſciplinam ſe contulit: in qua magna cum laude verſatus, princeps Ordinis in exercitu, poſtea Comes, ad extremum, aſtutiâ mirabili (quippè qui accepta ab Amantio Eunucho pecunia, vt militibus pro Theocritiano Imperatore eligendo, diſtribueret, in ſe omnium ſuffragia verterit) Imperator factus eſt. Theocritianum, Amantium, & Andream, inſidias ſibi molientes, è medio ſuſtulit. Vir Orthodoxus, & pietatis veræ ſtudioſiſſimus. Vt hæreticorum nomen extingueret, Arrianos expulit, eorumque Eccleſias Catholicis aſſignauit. Epiſcopos ab Anaſtaſio in exilium, propter veram fidem miſſos, reſtituit. Germanum Capuanum præſulem, legatum ab *H*ormiſda Pontifice Max. miſſum, vt Chriſtianam & Catholicam religionem in partibus illis, Arrianorum pertinacia conuulſam, reſtauraret, maximo honore excepit, & audiuit. Eos qui cum Acatio ſentiebant, expulit, odioque iuſto proſecutus eſt: cumque ſenectuti ſuæ conſulere vellet, Iuſtinianum ex ſorore nepotem adoptauit, & imperij conſortem fecit, ipſe quarto poſt menſe, ex hac vita migrauit. Cal. Aug. V.C.1279. Ch.527.

Vixit Annos.......
Imperauit An.9.M.o.D.24.
Sepultus Conſtantinopoli.



88, *Cuius pudet, pigeat.*

PArs auerſa Iuſtini Imp. præſefert in medio nummo hos characteres :

*. M. †. B. †.

Quibus proponere voluiſſe videtur annum Epochæ Chriſtianæ. Nam extat & alia auerſa pars in Occone, eoſdem habens characteres, adiecta voce ANNO, vt etiam ſub nummo 101. videre eſt. Cum autem apud authores nullam explicationem reperiam, neque rationem inueniam, qua ad annos Imperij Iuſtini, id eſt, ab An à Chriſto nato 518. ad An. 527. congruant; rem iis explicandam relinquam, qui ſe obſcuriſſima expoſituros profitentur.

Iuſtini I. numiſmata rariſſimè reperiuntur.

89. IVSTINIANVS LXXXIX. ROM. IMP.

IVſtinianus I. cognomento Magnus, Iuſtini ſororis filius, ex Bedirina Illyrica ciuitate oriundus, ob ingenij animique magnitudinem, Magnus appellatus, à Iuſtino, ætatis anno quadrageſimo quarto, Imperium ſuſcepit. Orientem pacauit. Perſas, qui tranſgreſſis limitibus, Mæſiam Syriamque prædati fuerant, opera Beliſarij viri clariſſimi, intra ſuos fines continuit. Romam eodem duce, à Gotthorum ſeruitute aſſeruit. Africam, Imperio pulſis Vandalis, reſtituit. Narſete duce, Gotthicum tandem nomen deleuit. Bis triumphatum eſt, ex inſtituto veterum Romanorum de Perſis & Vandalis, à Beliſſario: quem Iuſtinianus magna lætitia excepit; Gelimerem præſertim Vandalorum Regem vinctum catenis Conſtantinopolim adductum, aſpiciens. Pacato orbe domi foriſque glorioſus cum eſſet, leges infinitis voluminibus anteà diſperſas, in quinquaginta Digeſtorum libros contraxit. Inſtitutionum libros quatuor edidit, & Codicem vulgauit. Templum magnificentiſſimum admirando ædificio extruxit: quod Sanctam Sophiam appellauit. Vir iuſtus, & integer, certè maximus Princeps fuit. In perſcrutandis rebus ingenioſus, ad vindictam præceps, hæreſium hoſtis maximus, in pecunia effundenda immodicus, in congerenda intemperantiſſimus. Senio confectus, Iuſtino prius ex filia nepote, Imperij conſorte electo, mente parum ſanus, deceſſit. Id. Nouemb. ab V.C. 1317. Ch. 565.

Vixit Annos 83.
Imperauit An. 38 M. 3. D. 13.
Sepultus Conſtantinop.

Iuſtiniani numiſmata ſunt cara.



89. *A bonis bona benè.*

IN numiſmatis Iuſtiniani auerſa parte exſculptæ cernuntur hæ notæ:

†. K. ⁎.

Quæ vt in proximo præcedente nummo annum Epochæ Chriſtianæ deſignare videntur. Coniecturam facio ex alia Iuſtiniani auerſa parte, quæ apud Occonem pag. 582. extat. Ea enim ante characteres K. †. A. XII. habet ANNO, quod non video quorſum ſit additum, niſi hoc deſignetur.

Reuſn. autem in Claſſe II. Symbol. Impp. pag. 115. teſtatur hunc Cæſarem, imaginem Chriſti cum cruce in ſuis nummis aureis excudiſſe, hac inſcriptione: *Ieſus Chriſtus Rex regnãtium.* Fortè hi characteres idem ſibi volunt *Ιησοῦς κυριός.*

90. IVSTINVS II. ROM. IMP. XC.

IVſtinus minor patre Illyrico, matre Auguſti filia, à teneris annis, non vt nepos, ſed vt filius in regia ſemper habitus, à Iuſtiniano Imp. auo coronatus eſt. Natura facili, & ad omnia dexteriore, ductu Sophiæ coniugis ab initio principatus liberalis fuit, vnde ſibi militem, ciuiumq; animos valdè deuinctos reddidit. Sed poſtea & ſui & Iuſtiniani diſſimilis factus, ad rapinas, direptiones, omnemque ferociam ingenium vertit. Fidei Chriſtianæ contemptor maximus, in Pelagianam hæreſim incidit. Cum Perſis pacem fecit, tributo quod Romani annuatim pendebant, ſublato. Longobardi, Germanica gens, à Narſete Exarcho, contra Sophiam Imperatricem (quæ tum rerum potiebatur marito mentis impote) indignato, accerſita, in Italiam hoc principe irrupêre, quam ab Albœno Rege ad Deſiderium, per ducentos, & quatuor annos in principatus dicionem tenuere. Eius tempore Vgri, glacialis Oceani accolæ quærendo ſedes, Pannonias ingreſſi, ibi commorari cœperunt, rebus bellicis ita clari, vt nulli bellicoſarum gentium cedant. Iuſtinus grauiſſimo pedum dolore vexatus, cum Tiberium, qui præfectus erat vigilum, Imperatorem declaraſſet, vxore Sophia ſuperſtite relicta, obiit. 6. Non. Octob. V. C. 1329. Ch. 576.

Vixit Annos. .....
Imperauit An. 11. M. 10. D. 20.
Sepultus Conſtantinopoli.



90. *Non beatus, qui ſe beatum neſcit.*

AVerſa pars nummi Iuſtini II. exhibet etiam victoriam, tenentem dextra haſtam, ſiniſtra globum cum cruce, & inſcriptionem:

VICTORIA AVGGG. N. infra CONOB.

Hæc victoria in hoc nonnihil differt ab antecedentibus & ſequentibus, quod ſedeat in ſubſellio, dextra tenens haſtam, quò fortitudinem deſignat: ſiniſtra Globum cum cruce. Talis globus in hodiernum diem geſtamen & ornamentum eſt noſtrorum Imperatorum, deſignans orbis terrarum Imperium. Prioris Romanorum Imperatores ſæpius in ſuis numiſmatibus eo vſi ſunt, vt in nummo 1. 50 56. 81 & in aliis videas. Sed hic primum cum cruce, quæ Chriſtianorum typus eſt, exprimitur.

Iuſtini II. nummi ſunt rari.

91. TIBERIVS II. ROM. IMP. XCI.

TIberius Secundus, Conſtantinus, à Iuſtino in Imperium adſcitus, ab Euticio Patriarcha diadema ſuſcepit. Princeps clementia, iuſtitia, pietate, religione, ſapientia, conſtantia, perpetua fortitudine, omnibus virtutum ornamentis clarus; præſertim liberalitate in pauperes; quibus quicquid auaritia longa Iuſtinus congeſſerat, liberaliſſimè erogabat, Sophia Auguſta fruſtrà refragante, & ærarij imminutionem obiiciente: quod tamen Diuina quadam prouidentia, tanto magis augebatur, quanto plura inter egenos Tiberius diſtribuebat. Narſetis theſauros, ſene quodam monſtrante, ex Italia delatos accepit, quibus ad munificentiam & liberalitatem vſus eſt. Magna ex Perſis victoria reportata, captiuos Conſtantinopolim abductos, magnificentiſſimè veſtiuit, in patriamque remiſit. Eius felicitas multi nominis fuiſſet, ſi res vt in Oriente, ita in Occidente ei ſucceſſiſſent. Nec enim Longobardos coërcere potuit, qui triginta ducibus creatis totam Italiam adminiſtrabant. Senio cõfectus Tiberius, cum ſe viribus deſtitui animaduerteret, Imperij gubernacula genero ſuo Mauritio tradidit, æquitatem & iuſtitiam ei commendans, præſentibus Iohanne Patriarcha (qui ipſi coronam impoſuit) & Senatu, paulò pòſt deceſſit. 4. Id. Aug. ab V.C. 1335. Ch. 583.

Vixit Annos ....
Imperauit An. 6. M. 10. D. 10.
Sepultus Conſtantinop.



91. *Virtutem præ omnibus colito.*

NVmiſma Tiberij II. Imp. ab auerſa parte expreſſum habet ipſum Auguſtum cum paludamento & veſte regia, dextra crucem tenentem, ſiniſtra Globum, in quo eſt crux, hac addita inſcriptione:

GLORIA ORBIS TERRAR. infra TESOB.

Anterior pars iſtius nummi ſumpta eſt ex Goltzio & Tretero: poſterior ex Epitome Antiquitatum Iacobi de Strada Mantuani, in rebus antiquis verſatiſſimi & diligentiſſimi. Paludamentis Romani vtebantur tempore belli: toga autem in pace Iſidorus lib. 19. Etymol. Toga, inquit, dicta eſt, quod velamento ſuo corpus tegat, atque operiat. Eſt autem pallium purum, formâ rotundâ & fuſiore, & quaſi inundante ſinu, & ſub dextra veniens ſupra humerum ſiniſtrum ponitur, cuius ſimilitudinem in operimentis ſimulachrorum vel picturarum conſpicitur, eaque ſtatuæ togatæ dicuntur. TESOB. forſitan numum Teſtorice (quæ vrbs Thraciæ eſt) obſignatum indicat.

Tiberij II. nummi rariſſimi ſunt.

92. MAVRITIVS ROM. IMP. XCII.

MAuritius ex Cappadocia oriundus, Notarius humilis, ob diligentiam, à Iuſtino Præfectus vigilum factus, inde Tyberij gener, poſt Auguſtus, Orientalis Imperij gubernacula ſuſcepit. Initio principatus Perſas per legatos fudit, poſtea exercitum in Thraciam traduxit, Scythas Mæſia expulit & Longobardos. Auſpiciis Theodoſij ſui filij & Germani ſoceri, victos Hunnos, Pannoniosq; exactos, ad ſolitudines fugauit, & Chaganum ducem illorum afflixit. Pluribus victoriis, illuſtratus omnem principatus ſui laudem peſſimo auaritiæ crimine contaminauit, imperij capitisq; ſui interitũ accelerauit. Nam cum ſtipendia nulla militibus erogaret, iis præſertim qui Sarmatico limiti contra Scytharum imperium, loco ſterili poſiti præerant, difficilia quæque tolerantes: nec ob auaritiam captiuos à Perſarum Rege redimeret, conſpiratione militum Duce Foca in eum facta, Chalcedone cum tota ſua proſapia, Conſtantia vxore, Theodoſio, Tiberio & Conſtantino filiis, totidemque filiabus interemptus eſt. Miſerabilis huius mortis ſuæ per ſomniũ admonitus, vbi ad rem infœlix præſagium collatum vidit, cum conſpectu ſuo, vxor, tres filiæ, & filij interficerentur, pœnitentiâ ductus, forti animo tantam calamitatem perferens, non aliud ante mortem in ore habuiſſe dicitur, quàm illud Dauidis: *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* 8. Cal. Decemb. an. ab V. C. 1355. Ch. 602.

Vixit Annos 63.
Imperauit An. 19. M. 3. D. 11.
Sepultus in ſuburbio Conſtantinop.

Numiſmata Mauritij pauca extant.



92 *Quod timidum, idem crudele.*

MAuritij Imp. auerſa pars, exhibet victoriam alatam, dextra crucem, ſiniſtra globum cum cruce tenentem; & habet etiam:

VICTORIA AVGG. P. infra CONOB.

Hoc etiam numiſma à D. Kinig recepi, videtur crux quam figura gerit, eſſe lituus ſiue baculus augurum, qui paſtorale à Chriſtianis, aut pedum Epiſcopale vocatur. Characteres CONOB. pleriſque poſteriorum Cæſarum nummis additi ſunt, Cedrenus interpretatur:

CIVITATES OMNES NOSTRÆ OBEDIANT BENERATIONI.

Ita enim ſcribit: *τὰ ἐν τοῖς νικηφορίοις τοῦ νομίσματος ὑποκείμενα ῥωμαϊκὰ γράμματα κονὸβ, δηλοῦσι ταῦτα. κ. κίβιτάτοις, ο. ὄμνοις, ν. νόστρα, ο. ὀβεδιάντ, β βενερατίονε. τουτέστιν, αἱ πόλεις, πᾶσαι τῇ ἡμετέρᾳ πειθαρχείτωσαν προσκυνήσει*, id quod à paucis hactenus obſeruatū, hoc loco (inquit D. Occo) explicare volui. Melius tamen hæ literæ explicatæ videntur in Ortelij Viuianique Itinerario, vbi CONOB. Conſtantinopoli obſignatam pecuniam oſtendere, egregiè docetur, vide.

93. PHOCAS ROM. IMP. XCIII.

PHocas Præfectus Scythiæ, poſt Mauritij cædem, à ſcelerato exercitu, cui præerat, Imperator lectus & publicatus eſt. Initio principatus eam ſibi præclari Imperatoris opinionem comparauit, vt multi cum eo pacem ſancire, quàm armis decertare maluerint. Cæterum Mauritij etiam auaritiam ſuperans, corradendæ per fas & nefas pecuniæ adeo incubuit, vt & magiſtratus, iudiciaque venderet, & eos in primis charos haberet, qui populos inexplebili rapacitate vexarent. Socordia, ignauia, & frequentibus adulteriis infamis, Romanum Imperium à Barbaris vaſtari facile tulit. Hinc Perſæ Meſopotamiam, & Syriam occupauerunt: Hieroſolymam, depopulati ſunt: mediterranea Macedoniæ, Thraciæq; loca peruagati ſunt, inq; Cappadociam & Galatiam incurſiones fecerunt. In Occidente vero Germania, Hiſpania, Gallia & bona pars Italiæ ab imperio Romano defecere. Ægyptum Sarraceni vaſtauere. Nihil magis memorabile in principatu egit, quàm quod de primatu inter Magnum Gregorium, & Ioannem Patriarcham Conſtantinopolitanum contentione exorta, ſententiam pro Eccleſia Romana tulit, & Pontificem Rom. caput Eccleſiæ declarauit, quem honorem antea Patriarcha Conſtantinop. ſibi ſumere volebat. Illud quoque memorabile quod Romæ Pantheon, exturbatis idolis, virgini matri, Diuiſque Martyribus, à Bonifacio quarto, conſecrari permiſit. In eum conſpiratum eſt ab Heracleona, Heraclio & Priſco, qui captum, manibus, pedibus, & genitalibus, ob inſignem libidinem truncatis, capiteque amputato: interfecerunt: Tota etiam eius proſapia, radicitus extirpata eſt eodem tempore: ſicque cum ſuis iuſtam crudelitatis ſuæ, quâ vſus fuerat in Mauritium, recepit mercedem, 6. Cal. Apr. ab V. C. 1363. Ch. 610.

Vixit Annos
Imperauit An. 8. M. 4. D. 9.
Truncus combuſtus, in mare proiicitur.



93 *Facilius fortuna paratur, quam conſeruatur.*

ETiam in huius numiſmatis auerſa parte expreſſa eſt victoria, dextra labarum, ſiniſtra victoriolam tenens, cum inſcriptione eiuſmodi:

VICTORIA AVGV. infra CONOB.

De labaro egimus ſub nummo 68. & 69. de Victoria & Victoriola ſub 85. Conob explicauimus paulò ante. In anteriore parte huius nummi legitur: D. N. FOCAS. P. P. AVG. Dominus noſter Focas, Patriæ Pater, Auguſtus. Nomen Patris Patriæ primus omnium obtinuit Cicero, eò quod coniurationem Catilinæ patefeciſſet, vnde Poeta canit:

Roma Patrem Patriæ Ciceronem libera dixit.

In numiſmatibus Cæſaris reperitur *Parens Patriæ*. Auguſtus autem, ob Rempub. conſeruatam & victorias de Pannoniis, Dalmatis, Iapidibus & Gallis reportatas, à S. P. Q. R. *Pater Patriæ* appellatus eſt: quem titulum deinde plurimi Imperatores ſibi tribuêre.

Et Phocæ nummi rariſſimi & percari ſunt.

94. FL. HERACLIVS I. IMP. XCIV.

& filius eius.

[95. HERA. CONSTANTINVS IV. IMP. XCV.

HEraclius filius Heracleonæ, proprætor Africæ, poſt interfectum Focam, ſuffragantibus militibus Imperator pronunciatus, à Sergio Patriarcha cum Eudoxia coronatus eſt. Perſis Africam vaſtantibus, legatos cum muneribus ad eorum Regem inducias petens miſit, quas non prius ſe conceſſuras reſponderunt, quam Chriſtum abnegaſſet Imperator. Ea re commotus Heraclius, diuino implorato auxilio, ingentes copias aduerſus Coſroem Regem Perſarum eduxit, cuius tres duces cum tribus exercitibus ſuperauit, Perſideque igni & ferro vaſtata, lignum Crucis, quartodecimo poſtquam in poteſtatem Perſarum venerat anno (vt ſcribunt nonnulli) victor recepit. Pace cum Perſis firmata, Tigridem fluuium, eorum Romanique imperij limitem eſſe voluit. Eius temporibus Sarraceni Machometo duce, caput extulerunt, occupataque Syria, Damaſco, & Arabia, execrandæ religionis virus ſpargere cœperunt. Creditum eſt, Heraclium in ſenectute ad Monothelitarum hæreſim deſciuiſſe, & aruſpiciis præſtigiiſque dæmonum fidem adhibuiſſe. Alij hydropiſi eum occubuiſſe ferunt. Menſe Maio V.C.1393.Ch.641.

Vixit Annos......
Imperauit An.30.M.2.
Sepultus Conſtantinopoli.



94. *A Deo victoria.*

95. *Inſania læta voluptas.*

NVmiſma argenteum huius Heraclij patris, eſt ex maxima forma, continens in diametro hanc lineam appoſitam: inſcriptio partis anterioris talis eſt:

ΗΡΑΚΛΕΟC ΕΝ ΧΩ ΤΩ ΘΕΩ ΠΙCΤΟC ΒΑCΙ ΚΑΙ ΑΥΤΟ ΡΩ ΝΙΚΙΤΗC ΚΑΙ ΝΟΜΟΘΕΤΗC ΑΕΙ ΑΥΓΟΥCΤΟC.

Hoc eſt: *Heraclius in Chriſto Deo fidelis Rex & Imperator Romanorum, victor & Nomotheta, ſemper Auguſtus.*

In medio nummo habetur AMOAINIC. &, ILLVMINA

95. Hera. Conſtantinus Nouus, Fl. Heraclij ex Fabia Eudoxia filius, à patre 6. Cal. Aprilis An. Ch. 613. nutantis Imperij conſors eſt adſcitus. Patre mortuo, dolis nouercæ Martinæ, quæ filio Fl. Heracleonæ imperium aſſerebat, veneno ſublatus eſt, eodem quo pater obiit, an. Ch. 641.

Vixit Annos 29.
Imperauit ſolus M. 4.
Sepultus.......

MINA VVLTVM TVVM DEVS (in medio lunæ) SVPER TENEBRAS NOSTRAS MILITABOR IN GENTIBVS. In parte auerſa ſcriptum eſt:

SVPER ASPIDEM ET BAXILISCVM AMBVLAVIT ET CONCVLCAVIT LEONEM ET DRACONEM In medio nummo habentur hæc græce:

ΔΟΚΑ ΕΝ VVΚΤΙC ΧΩ ΙΟΟγ ΟΤΙ ΧΙΕΡΡΞΕ. CIXIPAC IPIAAC ΚΑΙ ΕΑΕVΟC ΡγCΕ ΑΜΑΝ ΒΑCΙ ΝΡΑΚΑΕ.

Hoc eſt: *Gloria in altiſſimis Chriſto Deo, quod diſrupit ferreas portas, & liberauit ſanctum regnum Heraclij.*

94. & 95. Appoſuimus hic & alium nummum Heraclij & eius filij *Hera* Conſtantini, quem Octauius de Strada. Jacobi F. Sac. Cæſ. Ma. Antiquarius nobiliſs. (apud quem Pragæ maximam copiam omnis generis præſtantiſſimorum nummorum vidi) mihi communicauit. Eſſe autem Heraclij patris, & Heraclij Conſtantini filij, teſtatur Ant. Auguſtinus, Dialog ſeptimo, eſtque adſcriptum in anteriore parte:

DD. NN. HERACLIVS ET HERA. CONST. P. P. AVG.

Onuph. Panuinus lib. 2. pag. 211. probat filium *H*eraclij primi, *H*era. Conſtantini nomen habuiſſe, qui ſimul imperauerunt.

Eius pars auerſa eſt crux in 4. climacteribus ſcalæ erecta, cum inſcriptione: VICTORIA AVGG. H. infra CONOB.

Numiſmata Heraclij patris & filij pauca extant.


96. FL.

96. FL. HERACLIONAS, cum eius matre MARTINA. IMP. XCVI.

MArtina peſſima mulier, ſecunda vxor Fl. Heraclii, poſt obitum mariti, eius filium Heraclium Conſtantinum ſucceſſorem Imperii, veneno ſuſtulit, & Imperium arripuit, cum filio Fl Heracleona, decem annos nato, qui viuente patre Cæſar erat appellatus. Illa verò quod manu ſcelerata nacta eſt, ſimiliter amiſit. Nam conſpiratione Senatus vnà cum filio capta, coacta eſt cum eodem abdicare. Mulieri linguam præciderunt, ne oratione, quâ plurimum valebat, populos commoueret: Puero abſciderunt naſum, ne decor aut gratia, in vultu commiſerationem faceret, & in exilium Cappadociam miſſi ſunt.

Mox Senatus Conſtantem II. eligit, abſque militum conſenſu, quod rarò admodum vſu venit. Abdicarunt mater cum filio, vt authòr eſt Onuphrius, An. Ch. 641. vt autem ego ſentio 642. quod etiã ex ipſo Onuphrio facili colligi poteſt. Nam paulò pòſt ſcribit, quod Hera. Conſtans imperauerit An. 26. M. 8. & occiſus ſit Ann. Ch. 669. Atque id melius congruit cum aliis authoribus, qui Heracleonam & matrem vix biennium imperaſſe ſcribunt.

Vixit filius An. 10.
Imperauerunt igitur An. 1. M. 2.
Sepulti......



96, *Mali principij, malus exitus.*

NVmiſmatis Heraclij ſiue Heraclionis & matris eius Martinæ pars aduerſa, ex Goltzio & Strada delineata eſt. Altera quoque ex eodem Strada, quæ crucem habet in quatuor climateribus erectam. Addidimus hic & alium nummum Heracl. & Martinæ ex Ant. Auguſtino, cuius poſterior pars præſefert.

XX. †. infra ROM.

Quibus forſitan certa vota deſignantur. Nam tunc temporis vota etiam in vſu fuiſſe, proximo ſequente nummo ex Iac. de Strada, probatur.

Et hæc numiſmata ſunt rariſſima.



97. *Sequere trahentia fata.*

98. *Quod cito fit, cito perit.*

NVmiſma Conſtantis II. & eius filij Conſtantini V. à Goltzio, Strada, Tretero, & aliis duabus figuris, depictum inuenimus. Auerſa pars autem quam adiicimus, eſt huius Conſtantini V. quam etiam ex Strada deſumpſimus, habetque Coronam lauream, in qua ſcriptum eſt.

VOT. XXX. MVLT. XXXX.

Hoc eſt: vota tricennalia, multis quadricennalia, de quibus vide deſcriptionem num. 58.

98. CONSTANTINVS V. Conſtantis natu maior filius, vulgo Barbatus dictus, in Siciliam veniẽs cædem patris vltus eſt. Bellum contra Sarracenos totis ſeptem annis fœliciter geſſit: contra Bulgaros vero infœliciter pugnauit. Princeps fuit patri diſſimilis, fide Catholicus & valde modeſtus. Eccleſias direptas reſtaurauit. Eo fauente, tempore Agathonis Pont. Max. celebratum eſt ſextum generale concilium Conſtantinopolitanum, pro duabus voluntatibus in Chriſto, contra hæreſin Monothelitarum. Tradito per manus Imperio filio Iuſtiniano iuniori, morbo correptus, obiit. Cal.Febr.An.Ch.686.

Vixit An.......
Imperauit An.16. M.7.
Sepultus......

Cum

Cum autem Conſtantinus per aliquot annos, poſt mortem patris ſolus imperauerit, & in Strada, effigies patris & filij ſeparatim habeantur, eas hic adiicere volui. Scribit idem Strada, auerſam partem Conſtantij patris, exhibere figuram mulieris inſedentem clypeo, habentem roſtrum nauis ſub pedibus, dextra verò globum, ſiniſtra haſtam tenentem, cum inſcriptione:

VOTA MILIT. XXXX. infra CONOB.

Hi nummi etiam difficulter reperiuntur.

99. F. H. IVSTINIANVS II. ROM. IMP. XCIX.

100. LEONTIVS ROM. IMP. C.

101. TIBERIVS III. IMP. CI.

IVſtinianus minor, Conſtantini quarti & Anaſtaſiæ filius, adoleſcens 16. annorum, Anno à Chriſti natiuitate, ſexcenteſimo octuageſimo ſexto, Orientalis Imperij gubernacula ſuſcepit. Ingenij varij erat atque à Rom. fide abhorrentis. Aduerſus ſextam ſub patre celebratam Synodum, ipſe aliam indixit, præſertim Sergio Pont. Max. aduerſante, quem comprehendi, & Conſtantinopolim duci mandauit. Bellum aduerſus Arabes & Bulgaros, contra fœdera motum, infeliciter geſſit. Ob crudelitatem omnibus inuiſus, Leontij Patricij, & Gallinici Patriarchæ dolo ex aula deturbatus, amputatisq; naribus, Imperium coactus abdicauit, & Cherſonam relegatus ad Trebellium Bulgariæ regem profugit. Menſe Iulio An. Ch. 696. Imperij Anno 10. M. 5.

100. Leontius, vir ordinis Senatorij, Patricius Conſtantinopolitanus à Iuſtiniano aduerſus Sarracenos dux exercitus conſtitutus, cum in ſuſpicionem affectati Imperij adductus eſſet, ab eodem in carcere biennio detentus fuit. Emiſſus verò & Græciæ Dux conſtitutus, clam, opera Gallinici, Patriarchæ Conſtantinopolim veniens, cum effracto carcere magnum captiuorum numerum liberaſſet, ab illis Imperator ſalutatus, Iuſtinianum imperio deturbauit. Claſſe aduerſus Arabes, Africam inuadentes ingenti parata, cum infectare rediret, à Tiberio per



99. *Multi nimium, nemo ſatis.*

tio per tumultum militarem, nouo Imperatore creato regno pulſus, truncatis naribus, in carcerem coniectus, abdicare ſe Imperio coactus eſt. Menſe Iulio, Anno Ch. 699. Imperij Anno 3.

101. TIBERIVS III. Abſimarus dictus, ab exercitu in Africa tumultuāte Imperator electus, Conſtantinopolim cum delectiſſimis militibus veniens, Leontium in vincu'a coniecit, eosque qui ab illius partibus ſtabant, fortunis omnibus exutos, in exilium miſit. Fratrem Heraclium, equeſtrium & pedeſtrium copiarum, ducem conſtituit, eumque aduerſus Agarenos in Orientis loco amandauit, poſtea à Iuſtiniano II. (qui opere Bulgarorum regis, iterum reſtituebatur) interficitur. Auguſto, An. Ch. 706. Imperij Anno 7.

Iuſtinianus ergo, per anno; 10. exul in Bulgaria fuit, Regis Trebelli opera iterum Imperium reſumpſit, Leontium è vinculis vnà cum Tiberio capto per forum & vicos in ſpectaculum educi iuſſit, vtrumque humi coram ſe proſtratum, in throno ſublimi ſedens, pedibus calcauit. Poſtea ante ſe obtruncatum, omnibus inſpectantibus, crudeliter in fruſta concidi mandauit. Gallinicum Patriarcham luminibus priuauit. Illud ſæuitiæ eius argumentum, vel maximum traditur, quod quoties truncas nares emungeret, toties vnum ex iis, qui Leontio fauerant ad ſupplicium rapi iubebat. Cumque flagitioſior indies

fieret,

100. *Oris atque cordis harmonia pulcherrima.*
101. *Miſeriam neſcire ſuam, ſine periculo eſt viuere.*

NVmiſmatis Iuſtiniani II. auerſa pars, expreſſam habet victoriam iuxta ſtellam ſtantem, habentemque, in dextra pedum Epiſcopale, in ſiniſtra verò globum cum cruce; & inſcriptione:

VICTORIA AVGG G. infra COMOB.

Quid ſibi velit CONOB. antea ſub nummo 92. diximus. In huius autem numiſmatis auerſa parte, vt & pleriſque poſteriorum Cæſarum legitur COMOB. cuius etſi nullã vſquam inuenerim explicationem, & libenter fatear me non ſatis ſcire quid velit: non grauabor tamen adferre ſententiam hac de re cuiuſdam Reuerend. & doctiſſimi viri & Antiquitatum expertiſſimi Moguntienſis, quã me præſente attulit. Ea eſt: CONOB, Conſtantinopoli obrizum. Quæ ſententia non multum differt à doctiſſimi Ortelij ſententia, quam vide ſub nummo 92. CONOB verò, Commertiorum obrizum. Addebat idem vir doctiſs. aurum quod habet inſcriptionem CONOB, verè obrizum & puriſſimum eſſe. Numiſmata autem in quibus COMOB. eſſe aurum minoris valoris; quod & ipſa experientia docet. Alij volunt COMOB vitio cunei & ignorantia irrepſiſſe, quibus ego aſſentiri nequeo, cum nòn in vno & altero nummo vnius tantum Imperatoris, ſed in variis inueniatur.

100. In Leontij ſiue Leonis II. parte auerſa, cõſpicitur parua victoria, dextra tenens crucem, ſiniſtra ramum oleæ, cum inſcriptione:

VICTORIA AVGGG. infra CONOB.

Victoriam ſub nummo 85. deſcripſimus, quo beneuolum lectorem remittimus. Vnum hoc tantum in præſenti addemus, quod Prudentius ait de victoriæ forma. Puella (inquit) formabatur permigera, pexo crine, nudo pede ſuſpenſa, ſtrophio recincta, ſinu veſtis fluitante.

fieret, à Philippo pulſus, vitam & filium Tib. Her. Conſtantinum, & imperium pariter amiſit, ſexto anno poſt exilium An. Ch. 712.

Vixit Annos 42.
Imperauit An. 10. M. 5.
Exul fuit An. 10.
Imper. poſt An. 6
Sepultus......

101. In auerſa parte nummi Tiberij III. exſculptum eſt in medio.

K. †. R. I. < Z Z O.

His characteribus annum Epocharum explicari videri diximus, ſub nummo 88. & 89. ad cuius explicationem lectorem remittimus. Iac. de Strada deſcribit aliam poſteriorem partem huius Tiberij in qua Corona laurea, in medio habens crucem, & infra adſcriptum *Conob.* Globum, dextra tenet Tiberius, cum Aquila. De globo egimus ſub num. 78. De Aquila ſub num. 64. Aquila Rom. Imperatoribus inter cætera ſigna cohortium (vt diximus) quaſi præcipuum erat, idque non tantum ad iſtius Tib. III. tempora, verum etiam in hodierno die pro inſigni Imperij Romani, ex aliis omnibus, ſolum reſtat De natura aquilæ ſcribit Plinius, Plutarchus, alij.

Hæc numiſmata Iuſtiniani II. Leontij & Tiberij III. rariſſima & cariſſima ſunt.

102. PHILIPPICVS ROM. IMP. CII.

PHilippicus cognomento BARDANIVS, Nicephori patricij filius, cum Tyberium ad Imperatoriam dignitatē prouexiſſet, ab eodem Cherſonam relegatus eſt, eo quod in ſomnis quilam caput ſuum contexiſſe dixerat, vt eum ab omni ſpe Imperij potiundi repelleret. Cherſonenſibus charus, contra Iuſtinianum bellum mouentem, dux ab illis electus, profligatis Iuſtiniani copijs, Conſtantinopolim cum claſſe ingreſſus, Iuſtinianum cum filio interemit. Potitus imperio, Patriarcham Gyrum Vrbe expulit: ſanctorum imagines, ex omnibus ædificijs eiecit: ſextæ Synodi decreta, altera Synodo, infirmare contendit: gratificaturus monacho cuidam qui de principatu obtinendo, illi præſagium fecerat, hoc prædictionis præmium petenti. Loquax nimium & in rebus gerendis imprudens, opes Imperij iam pridem congeſtas, nullo fructu diſſipauit. Bulgaros, Thraciam depopulari paſſus eſt. Tandem Anaſtaſij dolis, cum balneum publicum pridiè Pentecoſtes ingreſſus eſſet, à quodam Ruffino arreptus, oculis priuatus, & in carcerem coniectus eſt; vbi fame, ſiti, multiſque incommodis affectus, miſerè interijt. Abdicauit 12. Cal. Iulij. An. Ch. 715.

Vixit Annos. . . . . .

Imperauit An. 2. M. 9. D. 7.

In carcerem coniectus.



102. *Leuis eſt fortuna, quæ dedit, repoſcit.*

ETiam in hac auerſa parte nummi Philippici Imp. crux in ſcala quatuor climactericis impoſita, in medio nummi cernitur, cum his duobus characteribus ab vtraque parte crucis, A. L. & hac inſcriptione:

VICTORIA AVSVZ. infra CONOB.

Characteres A. L. videntur ſeparatim incuſi fuiſſe. Accepi & hunc nummum à Iac. Kinig Antiquario ſolertiſſimo cuius antea aliquoties, honoris cauſa, mentionem feci. Philippicus Imperator tenet dextra Globum, in quo eſt crux, ſiniſtra ſceptrum, in cuius ſummitate aquila cernitur, de qua nõ eſt quod hic plura addamus, vide nummum 64. CONOB etiam ſatis antea explicatum fuit.

Philippici numiſmata ſunt rariſſima.

103. ANA-

103. ANASTASIVS II. CIII. IMP.

ANaſtaſius II. cognomento Arthemius cum Philippicum in ordinem redegiſſet, Orientale Imperium adeptus eſt. Vir fuit tam ſermone affabilis, quam in operibus iuſtus, ac ob id inter optimos Imperatores meritò numerandus. Sextæ Synodi decretis per omnia aſſenſus eſt: deiectas imagines, reſtaurauit. Claſſem ingentem aduerſus Sarracenos, Chriſtiani nominis hoſtes, ex Pontificum aſſenſu, cum in Africam emiſiſſet, Claſſiariis quibuſdam contumacius agentibus, milites qui illum oderant, re infecta domum reuerſi, Theodoſium ignobilem alioqui virum, Imperio præficiunt. Quo audito Anaſtaſius feſtinanter mare, Nicæam verſus traiecit, ſeque ad reſiſtendum parauit: ſed à Theodoſio inſequente captus, abdicauit ſe Imperio, à quo etiam in monaſterium, ne qua via pateret redeundi ad Imperium, incluſus eſt. 14. Cal. Sept. Anno Ch. 716.

Vixit Annos ......
Imperauit An 1. M. 3.
Monachus factus.



103. *Cui ſemper dederis, vbi neges, rapere imperas.*

IN hac auerſa parte numiſmatis Anaſtaſij II. exhibetur figura victoriæ gradientis, dextra ſertum, ſiniſtra globum cum cruce tenentis, hac inſcriptione:

VICTORIA AVGVSTORVM. infra CONOB.

Delineata eſt hæc auerſa pars ex nummulo aureo pulcherrimo, mihi communicato, vt & alij multi à Nobiliſs. viro Ioanne in Curia, Patricio Noribergenſi, Antiquitatis artiumque omnium aliarum liberalium ſtudioſiſſimo. In eius Bibliotheca, non tantum pulcherrimi Antiqui nummi, verum etiam Bibliotheca Birkameri, capita ex marmore, & aliæ antiquitates variæ, item picturæ Alberti Dureri ſingulares, & plura alia delectabilia videri poſſunt.

Nummi Anaſtaſii II. etiam ſunt cariſſimi.

104. THEODOSIVS CIIII. IMP.

THeodoſius eius nominis III. Adramyttenus dictus, Conſtantinopoli parentibus obſcuris oriundus, à militibus Anaſtaſio infenſis, Imperator electus eſt. Ea fuit mòrum comitate, ſermoniſque affabilitate, vt omnibus meritò charus eſſet. Catholicæ fidei fuit obſeruantiſſimus. Imagines à Philippico eiectas, templis reſtituit. In omnibus actibus, optimi principis laude non caruit, futurus etiam longè illuſtrior, ſi diutiùs illi per Leonem Cononem, Orientis præfectum imperare licuiſſet. Verum cum exercitus Leonem Imperatorem dixiſſet, perteſus belli ciuilis Theodoſius, vt erat miti, placidoque ingenio, ceſſit imperio, monaſticumque vitæ inſtitutum amplexus, ſatis diu ac fœliciter in eo vixit. Abdicauit ſe Imperio 8. Calen. Aprilis, An.Ch. 717.

Vixit.....
Imperauit M.7.D.6.
Clericus factus.

Theodoſii III. numiſmata difficulter reperiuntur.



104. *Cuius dolori remedium eſt, Patientia.*

AVerſa pars numiſmatis Theodoſii III. præſefert quoque figuram victoriæ, vt pleraque præcedentia, & eorundem inſcriptionem:

VICTORIA AVGG. C. infra CONOB.

De qua auerſa parte iam ſatis ſæpe diximus. Videtur Imp. poſtquam coactus eſt abdicare & monachus fieri, hoc ſymbolum vſurpaſſe: Patientia remedium malorum. Et ſanè virtus Patientiæ tam ſimilis eſt fortitudini, vt cum ea, vel ex ea nata videri poſſit, authore Val. Maximo. Eſt autem, vt hoc addamus ex Cicerone, honeſtatis & vtilitatis cauſa rerum arduarum atq; difficilium voluntaria ac diuturna perpeſſio. Partes eius ſunt duæ, quarum vna in fortuna aduerſa toleranda, altera in perferendis iniuriis verſatur. Ac fortunam quidem aduerſam moderatè ferre, nec malis ſuccumbere, aut animo frangi, aut temere deſperare, magnæ virtutis eſt. Vnde Catonis illud:

Quæ ſuperare potes, interdum vince ferendo:
Maxima nam morum ſemper Patientia virtus.


105. LEO III. ROM. IMP. CV.

LEo cognomento Conon & Iconomachus, natione Iſaurus, ex Germanicia ortus, adeo obſcuri generis fuit vt ſedentariam artē exercuiſſe feratur Ex duce Orientalis exercitus, pulſo Theodoſio, Conſtātinopoli Auguſtus appellatur eſt. Peſſimus hic certè ſcribitur fuiſſe Princeps, Romanæ ſedis maximè inimicus. Imagines Chriſti, Dei paræ & ſanctorum, quotquot congerere potuit, igne combuſſit. Germanum Patriarch. Conſtantinop. actibus ſuis contradicentem, ſede exturbauit, & Romanum antiſtitem obſiſtentem comprehendi iuſſit. Ideo tota ab eo deſciuit Italia, materiaque fuit vt Rom. Pontifices ad Francos reges reſpicerent. Stephano & Gregorio inſidias ſtruxit: quorum hic eum non ſolum anathemate percuſſit, ſed etiam tributa, ei pendi ſolita, Concilij authoritate ademit, Franciſque exſolui mandauit. Hac de cauſa Leo Exarchos, vnum Romam, alterum Rauennam miſit, qui à tumultuante populo interempti ſuat. *Treterus.* Tertio eius Imperij anno, Conſtantinopolis triennali obſidione terra marique à Sarracenis grauiter defatigata eſt. Nec minori interim clade in vrbe ſæuitum, cum in ea trecenta & amplius ciuium millia, peſte fameque conſumti ſunt. Inde Siciliā, Sergij præfecti opera rebellantem ad officium retraxit. Bithynia Thraciaque graui terræ motu concuſſa fuit. Muri Bizantij magna ex parte collapſi: quam rem ille ad priuatum quæſtum retulit, tributo ad reſtituendos muros impoſito, ut ſinguli numiſmata quatuor & viginti obolos ærario Principis inferrent, quod poſtea in multas ætates abijt Relicto tandem Conſtantino filio, quem dudum Regni conſortem fecerat, dyſenteriæ fluxu moritur 14 Cal. Iulij An. Ch. 741.

Vixit An.

Imperauit An. 24. M 2. D. 25.

Sepultus Conſtantinopoli.



105. *Peius tectum, quàm apertum odium.*

A Verſa pars nummi Leonis III. expreſſam habet in medio hanc deſcriptionem.

† LEON ENΘEO BASILEVS ROMEON.

Id eſt: Leo Dei gratia, Rex Romanorũ. Ex qua inſcriptione conſtat, quod hi Imperatores Conſtantinopolitani, etiam his temporibus ſe Romanorum dixerint, & Imperium Italiæ, & totius Occidentis (etſi miſerè à varijs nationibus peſſundatum) habuerint. Quod & Exarchi arguunt, quos Impp. Conſtantinop. in Italia diu habuerunt. Teſtis eſt Onuphrius Panuinus, rerum veterum obſeruator accuratus: *Scholaſticus* (inquit) *Patricius XIII. Exarchus Italiæ, cui per X. annos præfuit, reuocatus eſt à Leone III. Imp. Anno Ch. 725. Et in eius locum ſuffectus eſt Paulus patricius XIIII. Exarchus, qui biennio Italiæ præfuit, & Rauennæ in tumultu militare occiſus eſt. Cui ſucceſſit Euticius patricius XV. Exarchus, etiam ab Imp. Leone III. miſſus, pro quo & eius filio Conſtantino VI. Copronymo, Italiæ præfuit annos 24. lege ſub num:*106.

Ex Leonis III. numis, ego tantum hunc vidi: quem à D. Kinig Antiq. recepi.

106. CONSTANTINVS VI. IMP. CVI.

CONſtantinus Sextus, dictus Copronymus, quod infans dũ baptizaretur aquam ſacram, ventris ſolutione, maculaſſet, filius Leonis III. Imperatoris, poſt patrem in regno ſucceſſit, cuius audaciam in euertendis ſanctorum ſimulachris longe ſuperauit, etiam eorum reliquias comburere minimè dubitauit: interdixitque ne quis eorum requireret interceſſionem. Nihil enim eos poſſe aſſerebat. Adijcebat nequidem Mariæ interceſſionem à quoquam eſſe petendam: neque enim eam quenquam poſſe iuuare. *Lege Suidam.*

Artabaſdum à Catholicis Imperatorem creatum, oculis, liberiſque priuauit. Patriarchas Conſtantin. vnum & alterum ignominioſè tractatos, capite plectit. *Hic* Bulgaricum variante fortuna bellum, terra marique geſſit. Grauiſſima ſub eo hyems fuit, vti Pontus, Boſphorusque ipſe Thracicus perglaciauerit. Incidit ea quoque calamitas, quam Italia ab Aſtulpho Longobardorum rege pertulit Byzantij graſſata eſt peſtis, terræq; motus ingens Palæſtinam, Syriamque afflixit Græcorum Exarchatus in Italia, Romani Pontificis (repugnante Cropronimo) eſſe cœpit, cùm Pipinus hæc loca Papæ permiſiſſet, & Carolus magnus eius filius, eidem donaſſet. *Sex. Aur. Vitor.*

Conſtantinus autem poſt infinita flagitia, exquiſitiſſimo cruciatu conſumptus obiit. 18. Cal. Octob. An. Ch. 775.

Vixit Annos 56.
Imperauit An. 35. M. 2. D. 27.
Sepultus......

Conſtantini numiſmata rariſſima ſunt. Præter hoc vnicum aliud nondum vidi.



106. *Corpus excors fragile.*

NVmiſmatis auerſa pars Conſtantini VI. cognomento Copronymi, exſculptam habet columnam quandam in medio Coronæ laureæ cum ſtella ab utraque parte, abſque ulla deſcriptione. Strada aliam auerſam partem commemorat, quæ habet figuram Imperatoris, dextram in ſublime erigentem, ſiniſtra verò aquam tenentem, cum ſigno militari ab utraque parte, adiuncta hac inſcriptione: *Princeps Des.* & infra, XXI. B. In nummo præcedenti de Exarchis, qui pro Imp: Conſtantinopolitanis Italiæ prefuerunt mentionem fecimus Euticius XV. Exarchus Italiæ adminiſtrauit eã ad annum Ch. 751. Cui ſucceſſit Longinus XVI & ultimus Exarchus. Nam anno eius primo omni Exarchatu à Longobardorum rege Aiſtulpho capto Imperium Auguſtorum Conſtantinop. in Occidente deſijt. Anno Ch. 751. Ab illo autem anno ad Imperium Caroli Magni regis Francorum, qui Deſiderium vltimum regem Longobardorum vicit, & captiuum cepit, ſunt anni plus minus 50. Hæc ex Onuphrio, Paul. Diacon. & Anaſtaſio bibliothecario.


LEO. IIII. IMP. CVII.

LEo quartus, Conſtantini Copronymi ex Cazara filius, patri ſucceſſit, cuius etiam fuit imitator; initio religionem ſimulauit Monachos in honore habens, dignitates illis quaſdã contulit; ſed ſi vixiſſet diutius, ad naturam profectò rediјſſet, quòd ſacrilegio commiſſo ſatis declarauit. Nam coronam à Mauritio principe Deo dicatam, è templo ſuſtulit, nefario capiti imponens, captus gemmarum & auri ſplendore. Sed breui caput eius carbunculi apoſtemate intumuit: tandemque ardentiſſima febri ſubſequente ſpiritum exhalauit. 7. id. Sept. An. Ch. 780.

Vixit, Annos. 29. M 7. D. 15.

Imperauit An. 4. M. 11. D. 26. ut alij autem, vix annum.

Leonis IIII nummi rariſſimi extant.



107. Quo mihi fortuna, ſi non conceditur vti.

NVmiſma Leonis III ſ. expreſſam habet imaginem Chriſti cum hac inſcriptione.

† IHS XPS. REX REGNANTIVM.

Scribit Ant. Auguſtinus, Dial. 1. citans Curopalatem in vita Ioannis Zimiſcis Imp. ipſum Imperatorem primum fuiſſe, circa An. 970. qui numos imagine & nomine Chriſti ſignauerit. Reuſn: tamen, in Symbol. Impp. teſtatur: Iuſtinianum I. in numis ſuis aureis, imaginem Chriſti cum hac appoſita inſcriptione excudiſſe. Aliud numiſma ex Iac. de Strada ſumptum eſt.

O 4. 108. CON-



108. { Matris. *Viue, vt non moriaris.*
Filij. *Fœmina naturam regere, omnino eſt deſperare.*

Nummus Conſtantini VII. ex meis deſumptus ab anteriore parte expreſſam habet ipſius Conſtantini & eius matris effigiem, cum inſcriptione ab vna & altera parte.

†. CONSTANTINO CEZOK BASILIS ROMEON.

Id eſt: Conſtantinus Cæſar, Rex Romanorum. Apparet ex hac inſcriptione hunc Imperatorum Imperij Romani iuriſdictionem adhuc prætendiſſe, etſi nihil præter titulum habuerit. Adiecimus hic & alium nummum, cuius anterior pars ex

Goltzio & Strada deſumpta eſt, habetque effigiem Conſtantini & Irenæ: Cuius poſterior pars ex Strada ſumpta, exhibet ipſum Conſtantinum paludamento veſte regia, & corona ornatum, cũ matre Herena, quæ veſte longa, margaritis videtur cincta, tenentes ambo globum in quo eſt crux. Symbolum additum eſt,

GLORIA IMPERII ROMANI.

Quod male conuenit cum ſtatu Imperij iſtius temporis. Nam cum Conſtantinus à matre Herena in cacere mori coactus ſit, Romanum Imp. & ſibi & ſuis amiſit. Carolo Magno illud occupante.

Horum nummi pauci reperiuntur.



169 *Chriſtus regnat, vincit triumphat.*

CVm nobis deeſſet numiſma, Galliarum inſignia geſtata ab Aquila Romanorum hic appoſuimus. Sed hic & deinceps duobus capitibus depicta cernitur, quibus diuiſio Imperij & Impp. quæ tempore Conſtantini Mag. cæpit denotatur, quod etiam Beatus Rhenanus, in Epiſtola quam Lazius habet, teſtatur. Nec abs re erit verba Lazij quæ ſunt in ſua Rep. Rom. lib. 1. cap. 1. adſcribere, quæ ad diuiſionem iſtam pertinent. *Cum (inquit) omnis generis hæreſibus coinquinati, qui apud Conſtantinopolim manebant Cæſares, Occidentem inſuper negligerent. Romani Pontifices, ne nobilis Reſpublica, Græcorum perfidia ſimul ac diſidia intercideret, Anaſtaſij exemplo, Franc. reges Pipinũ poſt, hũc Carolũ Mag. filium, ad apicem Occidentalis Imperij ſuſtelerunt.* Quod factum eſt An. Ch. 801. cum Carolus Mag à Leone III. Rom. Pont. coronam Imperij Romæ obtinuit. *Beatus Rhen. in eadem Epiſt: refert.* Quendam Maximiliano primo Cæſari perſuadere conatũ fuiſſe (ſed magno errore inquit) vt bicipitis Aquilæ ſignum pictum ſculptumue quaſi monſtrum aboleri per edictum ubique iuberet.

110. HLVDOVICVS PIVS. CX. ROM. IMP.

LVdouicus, Caroli Magni ex Hildegarde filius, propter Chriſtianæ religionis ſtudium morumque manſuetudinem, cognomento Pius dictus, poſt obitum patris, à proceribus Aquiſgrani Imperator ſalutatus eſt. Anno Chriſti 814. Dacicum bellum ex animi ſententia confecit. Bernardum ex Pipino nepotem Italiam ſibi ſubiugare conantem, ſupplicio affecit. Epiſcopos qui eum promouebant, vita donatus cænobijs incluſit. Britannos tumultuantes, armis ad officium reuocauit. A Iuditha vxore quatuor ſuſcepit liberos: Lotharium Italiæ, Pipinum Aquitaniæ, Ludouicum Bauariæ, Carolum Caluum Franciæ, Burgundiæque reges conſtituit; & cum in longiorem ætatem vita eius protraheretur, ab ingratis filijs pijſſimus pater captus, in monaſterium D. Medardi Sueſſione detruſus eſt. Sed optimo quoque in eius auxilium concurrentè, inuitis filijs, ex eo eductus priſtinæque dignitati reſtitutus fuit. Sed poſt Annum vnũ, in Inſula Moguntiæ contigua ſuper Rhenum, iuxta villam Ingelheim, deceſſit. Cal. Iulij, An. Ch. 840.

Vixit annos 62.
Imperauit an: 26 M. 4 D. 24.
Sepultus Metis.



III. *Vbi mel, ibi fel.*

ANteriorem partem ex Goltzio delineauimus, cuius inſcriptio indicat cuſum fuiſſe inGermania,cum habeat:

HLOTHARIVS CONING VON ROMA.

Id eſt: Hlotharius rex Romanorum. In auerſa parte conſpicitur Victoria alata, dextra crucem, ſiniſtra haſtam tenens,cum inſcriptione:

CONCORDIA MILITVM.

Hac inſcriptione & figura appoſita docetur, quanta vis ſit concordiæ: cum victoria plerumque Concordia militum obtineatur. Idcirco mutua defenſio etiam tutiſſima dicitur. *Scipio*, Tereſiā quendam Celticum principem conſulens & quærens, qua de cauſa Numantia prius inuicta duraſſet & poſt euerſa fuiſſet,hoc reſponſi ab eo tulit:Concordiam victoriam, diſcordiam præbere excidium.

Scyluri Scythæ exemplum, de quo Plutarchus, ſatis notū eſt, qui octoginta liberorum pater,cum iam moriturus eſſet,faſcem iaculorum ſingulis porrexit, eoſque frangere iuſſit,quod cum nemo eorum præſtare conādo poſſet,ipſe ſingula exemit, iiſque ſine negotio frangentibus omnia:Si(inquit)concordes fueritis, valiti inuictique manebitis:ſin verò diſcordes , faciles expugnatu futuri eſtis. *Sertorius* etiam,(de quo Val. Max.) ſimile exemplum militibus diſcordantibus in cauda equina propoſuit.

112. LVDOVIC. II. CXII. ROM. IMP.

LVdouicus II. Lotharij Imperatoris ex *H*ermingarde primogenitus filius,à patre conſors Imperij adſcitus eſt , Anno Chriſti 855. Eius fratribus Lothario Auſtraſia & Lotharingia; Carolo Prouinciæ Regnum diuiſione patris obtigit.Ludouicus princeps humanitatis, iuſtitiæ,in Deumque pietatis laude celebris,à Sergio Pont.Romæ coronationis inſignia ſuſcepit. Pupillorum & Orphanorum tutor ſingularis. In literis tam diuinis, quàm humanis benè verſatus. Contra Saracenos,ex Africa venientes,Beneuentum vicinaſque regiones flamma,ferroque depopulantes, Lothario fratre in auxilium aduocato, fœliciter pugnauit. Lucaniam , Samnium & Capuam recuperauit.Cum Carolo Caluo francorum Rege diſcordibus animis ferè ſemper vixit,propter Auſtraſiæ regnum quod Lotharij fratris fuerat, & Caluus id ſibi totum vendicaret. Tandem rebus compoſitis moritur Mediolani.Cal.Auguſti An.Ch.875.

Vixit annos
Imperauit an.19 M.10.
Sepultus Mediolani.in Eccleſia S.Ambroſij



112. *Nihil labor auerſante fortuna prodeſt.*

ANteriorem partem Ludouici I I. Imp. ex Iac. de Strada, mutuati ſumus, in qua conſpicitur effigies iſtius Principis capite laureato, cum inſcriptione:

IMP. LVDOVICVS P. F. AVG.

Id eſt: Pius, felix, Auguſtus, quos titulos, honoris cauſa, plerique etiam Imperatores poſteriores, ſibi vindicarunt. Nomen Auguſtus ab Auguſto. Pius ab Antonio Pio, originem traxit. Fœlix autem cognomen (quantum ego ex numiſmatibus colligere poſſum) primus vſurpauit Commodus. Auerſam partem ex Goltzio ſumpſimus, quæ præſefert tres figuras qui ſunt filiorum Lotharij Imperatoris, ſcilicet: huius picta Ludouici, Lotharij & Caroli. Coronati conſpiciuntur omnes, veſte regia induti, & dextris gladios tenentes, cum vnuſquiſque eorum regnũ peculiare à patre, vt dictũ eſt, acceperit. Symbolum huius principis fuit Fortuna à vetuſtate pro dea habebatur, cuius imago aurea per ſucceſſionem ab vno Imperatore ad alium transferebatur. Iul. Capitol. in hiſtoria Marci Cæſ. author eſt: *Antoninus Pius*, inquit, *cum ſibi adeſſe finem vitæ videret, vocatis amicis & præfectis vt ſucceſſorem Marcum* Imp. *commendauit: ſtatim, Fortunam auream quæ in cubiculo ſolebat eſſe, ad eius cubiculum tranſire iuſſit.*

113. CAROLVS II. CXIII. ROM. IMP.

CArolus II. Caluus cognominatus, Ludouici Pij Imperatoris, ex Iuditha filius, Ludouici II. patruus, poſteaquam regno Occidentalis Franciæ triginta ſex annis præfuiſſet, & cum Britonibus, Normanniſque ſæpius dimicaſſet, audita Ludouici Imperatoris morte, magnis itineribus Romam veniens, à Ioanne VIII. Pontifice Imperator coronatus, inunctuſque eſt, Anno Chriſti 875. Expeditione in Sarracenos ſuſcepta, nefarios eorum conatus facile repreſſit, indè in Galliam reuerſus, Boſonem, vxoris ſuæ Richildis fratrem Regem Prouinciæ proclamauit. Repetens vero Italiam, regna quæ Lothario minori obtigerant, armorum potentia exercituſque multitudine fretus, Imperio Francico adiungere etſi fruſtra conatus eſt: Nam Ludouici Germani filij ei ſeſe tam ſtrenuè oppoſuerunt, vt prœlio ad Veronam inito, eum in fugam verterint: vndè curis animique dolore confectus, non ſine veneni dati ſuſpicione, à Sedechia Iudæo medico, quem familiarius diligebat, Mantuæ diem extremum clauſit. Prid. non. Octob. An. Ch. 877.

Vixit Annos.
Imperauit An. 2. M. 2.
Sepultus Vercellis, poſt 7. annos, ad D. Dionyſium iuxta Pariſios transfertur.



113. *Quod paſtori hoc ouibus.*

CVm & hic nobis deeſſet anterior pars nummi Imp. Caroli Calui, effigiem huius Principis nobis à clariſſ. Viro D. I. Grutero communicatam, adiecimus. Auerſa pars autem ex Iac. de Strada deſumpta eſt; in qua exhibetur figura ſtolata, dextra Corollam, ſiniſtra Gubernaculum nauis tenens; cum inſcriptione:

LÆTITIA.

Coronula ſiue Corolla, quam hæc figura dextra gerit, eſt ſignum lætitiæ & gaudij. Nam Romani diebus feſtis publicis, non tantum homines & pueros, verum etiam templa, portas ædiũ, & animalia ipſa, coronamentis ornabant. Gubernaculum nauis quid velit explicauimus ſub nummo I.

*H*uius Imperatoris dictum: *Quod paſtori hoc ouibus*, docet: Principis ſalute, ſalutem contineri ſubditorum. Quod enim paſtor eſt ouibus, hoc princeps eſt populis ſibi ſubiectis. Vnde *Homerus* reges, paſtores populorum appellat. Leges paſtoris (vt ait Plato) ouibus ſunt optimæ: leges autem regis, animis hominum optimæ ſunt.

Caſſiodorus: Tuta eſt conditio ſubiectorum, vbi viuitur ſub æquitate regentis.

114. CAROLVS III. CXIV. ROM. IMP.

CArolus. III. à corporis obeſi habitudine *Craſſus* appellatus, Ludouici Germanici Regis filius, Princeps inſigni religione pietatéque præditus, Deo, cui actiones ſuas omnes deuouerat, felices ſucceſſus largiente, ea Francorum Regna quæ maiores ſui non ſine magna ſanguinis effuſione obtinuerant, abſque grauiore aliquo conflictu in ſuam poteſtatem redegit. Italiam à Sarracenorum incurſionibus liberauit, ob idque à Ioanne VIII. Pōtifice corona Imperiali meruit inſigniri, An. Chriſti. 877. Normannos Galliam vaſtantes, data Gothofrido Regi in matrimonium Giſla Lotharij filia, locoque ad habitandum, qui Normānia poſtea vocatus eſt, eum non ſolum ad pacis fœdera, ſed etiā ad religionem Chriſtianam ſuſcipiendam attraxit. Verum felici ſucceſſu elatus, zelotypiaque pudiciſſimæ coniugis, quam in monaſterium detruſerat, nimium agitatus, adeò ſe inuiſum omnibus reddidit, ut tamquam inutilis cui ſumma rerum committeretur iudicatus, Arnolpho ei ſucceſſore dato Imperio depoſitus ſit, & coactus abdicauit. 4. id. Nouemb. anno Ch. 887.

In ſumma poſteà egeſtate priuatam vitam ducens, ab omnibus derelictus Arnolphi ſucceſſoris ſubſidio, ne fame periret, ſuſtentatus, obiit.

Vixit annos.

Imperauit an. 8. M. 7.

Sepultus humili monumento in maiori Augeo monaſterio prope Conſtantiam.



114. Os garrulum intricat omnia.

CAroli Craſſi nummo deficiente, effigiem eius ex Tretero acceptimus. Auerſam partem ex Iac. de Strada, in qua figura victoriæ alata, dextra crucem, ſiniſtra ramum tenens, cum hac inſcriptione:

VICTORIA AVG.

De Victoria ſufficienter ſub nummo 85. egimus, nõ eſt itaque quod hic quicquam addamus. Non poſſumus autem quin demiremur D. Iac. de Strada ob inſignem peritiam in conquirendis nummis antiquis ſolertiam, cum habuerit aut viderit omnia hæc numiſmata vt ipſe in ſuo procemio Epitomes Antiq. teſtatur, Ait enim ſe, nullos nummos ex alijs liberis ſumpſiſſe. Me quod attinet, fateor me nunquam vidiſſe nummos Cæſarum, à Ludouico Pio ad Fridericum III. exceptis Ludouici IIII. ex argento, Othonis Magni ex auro Ruperti Palatini ex argento, & quorundam vltimorum qui propter deformitatem (cum ars pingendi & cudendi fere omnino amiſſa eſſet) non poſſent dignoſci.

115. ARNVLPHVS CXV. ROM. IMP.

ARnulphus naturalis filius Carolomanni Regis Bauariæ, nepos Ludouici Senioris Regis Germaniæ, Orientalis Franciæ ſtrenuus Dux, ab optimatibus, qui Carolum Craſſum loco mouerant, Imperator electus eſt, Anno Chriſti Octingenteſimo octuageſimo ſeptimo. Aduerſus Normannos res egregias primo geſſit, mox in rapinas temporumque ſpolia conuerſus, prior illum fælicitas deſeruit. Ac cum Italiam tumultuantem pacare contenderet, pharmaco quodam dementatus, ac morbo pediculari confectus, Ratisbonam delatus vitam cum morte commutauit 3. cal. Decemb. anno Ch. 899.

Vixit annos.

Imperauit. an 11. M. 10. D. 18.

Sepultus Hodingis apud patrem.

115. (*Fa-*



115. (*Facilè vocaueris Cacodæmona, ſed vocatum non facile repuleris.*)

ET hanc effigiem Imperatoris ex Goltzio mutuati ſumus cum inſcriptione:

ARNOLPHVS REX.

Hic conſpicitur Icon Imperatoris capite laureato, parma ſiue pelta, quæ arma erant propria pedeſtriũ, & ſceptrum quod reges geſtabant, manu tenens. In inſcriptione tantũ rex dicitur, quamuis à Papa Formoſo, Romæ in baſilica S.Petri an.Ch.895. conſecratus & coronatus fuerit.

Auerſa pars, ex Strada ſumpta eſt, in qua depicta eſt Dea Felicitas, dextra haſtam ſiue bacillum, ſiniſtra cornucopiæ tenens: cum inſcriptione:

TEMPORVM FELICITAS.

Videtur hanc auerſam partem in honorem Imp. Arnolphi cuſam fuiſſe, poſtquam Carolus Craſſus, in conuentu Triburienſi, quaſi inutilis, Imperio priuatus, & hic Arnulphus in eius locum ſubrogatus fuiſſet. Sed hæc fœlicitas, quomodo Imperator ipſe nominari videtur, cum non ſemper conſecuta eſt, cum poſtea pluribus fuerit inuiſus.

116. LVDOVICVS III. CXVI. ROM. IMP.

LVdouicus III. Rom. Imp. eius nominis; quartus autem Gall. rex, Arnulphi Imperatoris, ex Deiјta ſecunda coniuge filius, iuuenis admodum, ab optimatibus Franciæ Orientalis, in oppido Forchaim, Imperator electus regiiſque ornamentis inſignitus eſt, Anno Chriſti 899. Fuit princeps optimis moribus, virtuteque bellica non vulgari præditus: in expeditionibus tamen ſuſcipiendis parum fortunatus. Hungari eius ætatem contemnentes, Bauarorum fines inuaſerunt, Eccleſias vaſtarunt, homines paſſim iugularunt: quibus cum Ludouicus reſiſtere vellet, exercitu coacto, ad Auguſtam Vindelicorum, commiſſo cum eis prœlio, victus ſuperatuſque eſt. Hungari victoria elati, multoq; crudeliores effecti, cum omnia cædibus rapiniſque compleſſent, Longobardiam Italiamque penetrarunt, quare territi Itali, Cæſaris ignauiam incuſantes, Berengarium Imperatorem ſalutarunt, qui etiam victus pacem ab eis magno redemit. Ludouicus contra Berengarium in Italiam profectus, eum in fugam vertit; at cum Veronæ ſecurus ageret prodita ciuitate, per Berengarium vtroque lumine priuatus in Germaniam reuerſus, mærore caſus ſui, nullo hærede relicto, mortuus, menſe Decemb. an. Ch. 911.

Vixit Annos.

Imperauit An. 12 vt alij An. 6.

Sepultus Ratisbonæ apud D. Emerianum.

In eo deficiente Imperij maieſtate, quæ per annos incirca centum & decem apud Gallos durauit, tanta indole à Carolo Magno quæſita, ad Germanos poſteà tranſlata eſt.



116. *Multis quidem aggrediendi hoſtes;pauci vero conſulendi.*

CVm nec Goltzius nec Strada effigiem huius Imperatoris exhibuerunt,Iconem ex Tretero delineandam curauimus, quæ videtur ex quodā marmore ſumpta fuiſſe.Poſterior pars autē ex nummo argenteo paruo ſumpta eſt:In qua videtur templum,in medio habens crucem,cum hac inſcriptione:

RELIGIO XRISTIANA.

Hic princeps pius,ad imitationem Romanorum optimorū Imperatorum,qui ſigna pietatis & ædes Deorum in numiſmatibus deſignare ſolebant,templum Chriſtianæ religionis(vt inſcriptio loquitur)exhibet,qua ipſius amor religioſus denotatur. Reperiuntur & alij nummuli ex argento iſtius *H*LVDOVICI cum inſcriptione in medio nummo, LVGDVNVM itē BITVRIGES, &c.qui in territorio Lugdunenſi,recens in vaſe terra pleno,arando inuenti ſunt.lege dū Choul.

117. CON-

117. CONRADVS CXVII. ROM. IMP.

Conradus, Conradi Franconiæ Ducis filius, vir in rei militaris ſcientia cum laude verſatus ex duce Franconiæ, Haſſiæ, Vendrauiæ & Friſlariæ, Auguſtus deſignatus eſt. Anno Chriſti 911. Quamuis enim Francorum, Saxonum, Germanorumque ſtudia, in Othonem Saxoniæ Ducem, propenderent: tamen cum ob ingraueſcentem ætatem, onus Imperij ſuſcipere detrectaret Otho, eum ſibi potiſſimum deligendum putauerunt, qui & ab ipſo Othone vehementer commendaretur, & opibus, corporis animique dotibus plurimis ornatus eſſet. Tertio principatus eius anno, Hungari Germaniam ingreſſi, Bauariam, Sueuiam, aliaſque prouincias vaſtarunt: quos *Henricus* vna cum Othone, acerrimis prælìis profligauit: cumque multa alia in Imperio præclare feliciterque geſſiſſet, vbi ſupremum vitæ ſuæ diem adeſſe vidit, Germanis proceribus conuocatis, eos ad pie viuendum cohortans, author illis fuit, vt Henricum Othonis Saxoniæ Ducis (cuius beneficio ad Imperium peruenerat) filium Auguſtum crearent: & Corona, Sceptro, aliiſque Regalibus ornamentis depoſitis, vitam cum morte commutanit. Cal. Iulij. an. Ch. 919.

Vixit annos.
Imperauit an. 7. M. 6.
Sepultus in Fuldenſi monaſterio.

117. For-



117. *Fortuna cum blanditur, fallit.*

ANterior pars nummi deſumpta eſt ex Strada. Poſterioris autem loco, adiecimus inſignia iſtius ducis, qui Imperium à Gallis ad Germanos tranſtulit. *Gorop: Becanus in ſua Francica* ſcribit: Francos originem & nomen accepiſſe à Brancho ſiue Vrãcho, quem Iaphetum, Noe filium eſſe vult: quodque Scythæ, Germani, iidem qui Franci liberi, ad Meotidem, ante bellum Troianum, (cui etiam eos interfuiſſe ſcribit) habitarunt. Quo tempore autem ipſi inde in paludes Rheni, Oceano proximi cõmigrarunt, incertum eſt. Francorum quidem arma primò contra Romanos Gallieni tempore circa An. Ch. 260. fuerunt. Poſt humo etiam in Gallia Imperij ius & inſignia occupante auxiliorum non minima pars. De quo lege ſub num. 47. *Procopius* teſtatur, Rhenum in paludes quaſdam effundi, & in his Germanos primum habitaſſe, qui tum Franci vocabantur. Vnde liquet, Francos fuiſſe omnium infimos ad Oceanum. Teſtatur etiam ipſos piraticam exercuiſſe, & oras maritimas *H*iſpaniarũ, Britanorum & alias tempore Maximiniani, Diocletiani, Conſtantini, &c. vexaſſe. Clodoueus Francorũ rex circa An. Ch. 500. Alemaniã prœlio ſubiugauit. Et inde Franconici ad Mœnũ primum fuit ducatus exordium, ex agris deuictorũ præſidiariis militibus ſorte diſtributis, conſtitutum. Sunt autem alij qui volunt Francos dici à libertate, qua Valentinianus III Imp. eos donarit, cum & ipſos liberos Itali appellarunt. Lege Car. Sigonij Hiſt. de occid. Imp. An. 287.

118. HEN-



118. *Sit piger ad pœnas princeps, ad præmia velox.*

HEnrici primi nummi aduerſam partem ex Goltzio mutuati ſumus, Strada autem hanc effigiem loco Henrici VII. (hic num. 137.) poſuit: ſed Goltzius alium nummum, & abſque dubio verum ibi conſtituit, In quo cónſpicitur Imperator ſedens, & cum eſſet ex familia Ducum Lutzenburgenſium, iſtorum inſignia, in pectore deſignata ſunt. Auerſa pars ex Strada ſumpta eſt, in qua delineata eſt figura ſtolata, dextra haſtam, ſiniſtra cornucopiæ tenens, cum hac inſcriptione:

VICTORIA ÆTERNA.

De victoria æterna ait D. Hieronymus: Verè tuta pro Chriſto, & cum Chriſto pugna, in qua nec vulneratus nec proſtratus, nec conculcatus fraudatur à victoria. Præclarè etiam D. Auguſtinus: Non hoſtium (inquit) turba, non bellantium forma, non quaſi fulgens ferrea nos terreat armatura. Nam donabit certandi victoriam, qui certandi dedit audaciam. Hæc de Victoria Chriſtianorum. De Dea Victoria in nummis præcedentibus egimus.

119. OTHO II. MAGNVS. CXIX. ROM. IMP.

OTho. Henrici Aucupis filius, communibus Germanorum Principum ſuffragiis electus, Aquiſgrani ab Epiſcopo Moguntino coronam Imperialem accepit, Anno Chriſti noningeteſimo trigeſimo ſexto. Cæterùm Eberhardus Palatinus, &c. Giſelbertus Lotharingiæ princeps, qui ex poſteritate Caroli & Francorum erant, pertracto ad ſe fratre Othonis maiore natu, de imperij ſumma cum Othone toto ferè ſexennio, magnis prœliis dimicarunt. In vltimo tãdem conflictu, apud Andernacum, Eberhardus occubuit, Giſelbertus in Rheno ſubmerſus eſt. Hẽricus frater ſupplex ad Othonem veniens, non modo delicti veniam, ab eo impetrauit, ſed & Ducatu Bauarico auctus eſt. Ludolfum filium, ſecũndas nuptias patris cũ filia Regis Burgundionum improbantem, Moguntiæ primum, deinde Ratisbonæ obſedit Otho: prouolutum ad pedes & peccatũ ſuum deteſtantem, in gratiam recepit. Hungaros ad Auguſtam vrbem, ad Licum fluuium fudit, eorumque robur debilitauit: ob quam victoriam ab exercitu MAGNVS, pater patriæ, Auguſtusque appellatus triumphans in Saxoniam rediit. Ab Italis contra Berengarium eiuſque filium bis vocatus, vltimo prœlio captos, alterum Bambergam, alterum Byzantium relegauit, Romam profectus á Iohanne XII. coronatus eſt. Quem tertio Italiam repetens, cum grauiſſimorum criminum reus ageretur, ſæpe tamen vt reſipiſceret antea admonitum, Synodi auctoritate, ex officio deturbauit, Leone in eius locum ſuffecto, qui cum à neceſſariis Ioannis, poſt diſceſſum Imperatoris, vrbe eiectus eſſet, Otho ex Vmbria Romam aduolat, Romaniſque Coſſ. cum præfecto in Germaniam reuerſus, filio prius Othone imperij conſorte electo, Magdeburgi deceſſit. non. Maij an. Ch. 973.

Vixit annos.
Imperauit an. 37 M. 8.
Sepultus Magdeburgi.



119. Aut mors aut vita decora.

OThonis magni Iconem uti in Goltziò habetur, hic exhibemus. Auerſam partem eius ex Strada deſumpſimus: in qua apparet figura ſtolata ſtans, dextra in ſublime, ſiniſtra haſtam tenens,cum inſcriptione:

ÆTERNITAS.

Longè optimum & maximum bonum hominibus eſt, ad æternitatẽ aſpirare. Non quidẽ ut hi ethnici Impp. qui cõſecrabãtur,& æterniſabãtur abſq; ſpe fruendi æterna vita, de quibus egimus ſub nu.16.& 46. ſed ut nos ita geramus, ut poſt hanc miſerabilem, æternam habeamus. Ad eum quidẽ nulla melior eſt præparatio, quam æternitatis aſſidua & perpetua meditatio. Ea enim regula eſt vitæ optima, & ſapientię virtutiſq; magiſtra certiſſima. *Vnde Syracides: Memorare nouiſſima & in æternum non peccabis.* Et Ouidius; *Viue pius, moriere pius.* Et alius quidam:

Vt tibi mors fœlix contingat; viuere diſce:
Vt fœlix poſſis viuere, diſce mori.

120. OTHO. III. CXX. ROM. IMP.

OTho Othonis Magni & Adelheidis Reginæ Burgundiæ filius, admodum puer, à patre Imperij ſucceſſor Aquisgrani declaratus eſt. Mortuo patre, Henricum Bauariæ Ducem imperium affectantem facilè compeſcuit. In Lotharingia motus excitatos, ingenti exercitu coacto ſedauit, eique Carolum Lotharij Regis Francorum fratrem, beneficiarium Imperij faciens, præfecit: qua re offenſus Lotharius, collectis maximis copijs, inopinatò Cæſarem apud Aquisgranum ita adortus eſt, vt vix fuga ſibi conſuluerit: cuius infamiæ notam abſtergere cupiens Otho, Galliam ingreſſus, eamque Pariſios vſque depopulatus, Lotharium ad pacem poſcendam coëgit. In reditu tamen ad Axonæ fluuij tranſitum, non paruo incommodo à Francis affectus eſt, magno militum numero partim fluminis impetu, partim armorum vi ſublato. In Italiam profectus cum Græcis, ac Sarracenis, qui Calabriam, Apuliamque diripiebant, ad Baſantellum infeliciter congreſſus, ab eis ſuperatus, & fugiens conſcenſa ſcapha, à pyratis captus eſt. Verum cum ob Grecæ linguæ cognitionem, ignotus eſſet nautis, numerata pecunia facile ab hoſtibus ſe redemit. Alij agnitum, beneficio Siculorum ingenti auro ex manibus pyratarum redemptum, Romamque honorificentiſſimè deductum ferunt. Collectis exercitus reliquijs, dum vlciſci hoſtes cogitat, & nimis incautè Græcos ac Sarracenos perſequitur, ſagitta venenata vulneratus, Romamq; delatus, paucis diebus poſt moritur. Id. Decembr. Anno Chriſti. 983.

Vixit Annos 59.

Imperauit poſt mortem patris Ann. 10, M. 7. d. 2.

Sepultus Romæ in Eccleſ. S. Petri.



120. Cum omnibus pacem, aduerſus vitia bellum.

HVnc nummum Othonis III. ex Strada mutuati ſumus. Pars auerſa præfeſert figuram ſtolatam, dextra tenentem ramum, ſiniſtra cornucopiæ, hâc inſcriptione:

L Æ T I T I A.

Auerſa pars conuenit ferè cum numiſmatibus anteriorum Cæſarum Romanorum: Nam hoc modo Deam Lætitiam figurare ſolebant veteres, ut interdum dextra corollam, ſiniſtra facem teneret, ut in auerſa parte Taciti Imp. ſub num. *51.* videre eſt. Aliquando pateram dextra, nonnunquam crumenam: hic autem ramum oleæ, & cornucopiæ tenere conſpicitur. Hoc ſignum eſt pacis & abundantię omnium diuitiarum.

Et quidnam homini maiorem lætitiam adferre queat, quã pax & opulentia? Pax enim maximum eſt homini bonum, tranquilla libertas; cuius nomen dulce & res ipſa ſalutaris. Et ut Chryſoſtomus, pax omnis lætitiæ eſt materia. Iuſtitiæ filia, & abundantiæ mater. Vnde Poeta:

Pace frequens affert Hymenæus gaudia ſponſis:
Educat & caſtus pignora caſta torus.
Tunc reſonant citharæ: tunc ſaltibus apta iuuentus
Ad numerum cœtu ducit ouante choros.

121 OTHO IIII. RVFFVS. CXXI. ROM. IMP.

OTho huius nominis quartus, Saxoniæ Dux, dictus Ruſſus, Othonis III. ex Theophaniæ Imperatricis Orientalis filius, Italis ad ſe imperium trahere contendentibus, à proceribus Germaniæ, mortuo patre, Imperator Aquisgrani creatus, ab Epiſcopo Rauennate inunctus eſt, Anno Chriſti 983. Romam contendens, Bruno Dux Saxoniæ propinquus eius ad Pontificatus Romani dignitatem ab eo euectus eſt, & Gregorius V. appellatus: à quo etiam coronatus, in Germaniam reuerſus eſt. Romani autem id ægrè ferentes, Creſcentio Conſule fauente, Gregorium eiecerunt, & Ioannem Pontificem in eius locum ſubrogarunt. Imperator Romam cum exercitu veniens, de Creſcentio ſupplicium ſumpſit, Gregorium Papam, Ioanne Pſeudo-Pontifice vita priuato, ſedi reſtituit. Comitem Italum apud Mutinam, calumnia libidinoſæ vxoris ſuæ Mariæ reginæ Arragoniæ incitatus, pro adultero indicta cauſſa, inſontem interfici iuſſit. In Poloniam veniens, à Boleſlao Poloniæ duce magna magnificentia acceptus eſt. Otho Boleſlaũ regem appellauit, ac diadema illi impoſuit. His peractis Romam rurſus ad ſedandos nouos motus contendit: ijſque compoſitis: nouam creandi Romani Imperatoris formulam, cum Gregorio Papa condidit, quæ à ſeptem Germanis Principibus Electoribus dependet, & hodiè adhuc in uſu eſt. Cumque ea re varios tumultus contra ſe concitaſſet, & tutum ſe in Italia eſſe non poſſe videret, in Germaniam reuertens in itinere, à Creſcentij vidua, quæ ſuis illecebris Imperatorem ceperat, veneno chirothecis impoſito & ipſi miſſo, necatur, 5. Calen. Febr. Anno Chriſti 1001.

Vixit annos.

Imperauit an. 17. m. 1. d. 21.

Sepultus, inteſtina Auguſtæ, cadauer Aquiſgrani.



121. Vnita virtus valet.

OThonis IIII. effigies deſumpta eſt ex Goltzio. Iac. de Strada, hunc Imperatorem loco Othonis V. Num. *132*. & illum iſtius loco poſuit; Sed ego Goltzium ſecutus ſum. Auerſam partē ex Strada ſumpſimus, in qua eſt figura ſtolata, dextra ramum, ſiniſtra bacillum tenens, cum tali inſcriptione:

P A X   P E R P E T V A.

De pace egimus ſub nummo præcedenti, quibus non habemus quod addamus, niſi forte quod nemo unquam tam imprudens aut inſanus fuit, qui bellum potius quam pacem eligeret. Bellum enim maximum malum, ut Pax homini ſummum eſt bonum. Vnde Virgilius:

Nulla ſalus bello: pacem te poſcimus omnes.

Et alius Poeta:

Pace nihil melius, nil pace ſalubrius orbi
Terrarum, cœli qui regit aſtra, dedit.
Pace Dei cultus, legumque verenda poteſtas,
Et ſacra Muſarum gloria pace viget.
Pace ſuas mercator opes, ſua rura colonus
Poſſidet: abſq; metu carpit & hoſpes iter.

122. HENRICVS. II. CXXII. ROM. IMP.

HEnricus II. Dux Bavariæ, Comes Bambergenſis dictus Claudus, primus ab Electoribus, ex ordinatione Gregorij Papæ V. Imperator electus, Anno 1004. Moguntiæ à Villigiſo Archiepiſcopo conſecratus, deindè poſt expulſos Italia Sarracenos à Benedicto VIII. Romæ coronatus eſt. Bohemos bello fatigatos, tributarios ſibi fecit: Metas & Gandauum obſedit. Lotharingiam & Flandriam domuit. Hungaros, ad fidẽ Chriſtianam traxit. Multos epiſcopatus, qui Barbarorum crebris incurſionibus vaſtati fuerant, amplius reditibus auxit. Bambergenſem Eccleſiam fundauit, & amplius poſſeſſionibus, ornatiſſimaque ſupellectili ditauit. Princeps non tantũ fuit ſcientia rei militaris, ſed etiã vitæ ſanctitate, & innocentia præditus. Cum vxore Kunegũda cœlibẽ perpetuò vitam traditur duxiſſe, eamq; parentibns, cognatis, & affinibus conuocatis, caſtam, & intactam, morti proximus, reddidiſſe illiſque commendaſſe. Ipſe, magno de ſe apud omnes deſiderio relicto, obiit. 3. Id. Iulii, an. Ch. 1024.

Vixit annos 52.

Imperavit an. 23. m. 5. d. 16.

Sepultus Bambergæ.



122. Nihil impenſè ames: ita fiet, ut in nullo contriſteris.

AVerſa pars Henrici II. præſefert ipſum Imperatorem panopliæ aut ſpoliis inſidentem, cui Victoria alata, quæ ſiniſtra palmam tenet, dextra lauream imponit: & ante ipſum Auguſtum ſtat altera figura, dextra tenens labarum, ſiniſtra globum, in quo eſt victoriola, quę Imperatori etiam conatur imponere ſertum cum hac inſcriptione:

CONSERVATORI PANNONIÆ.

Hæc Inſcriptio attribuit Henrico Imp. eum fuiſſe conſervatorem Pannoniæ, cum Stephanum Hungariæ regem & eius ſubditos ad amplectandam fidem Chriſtianam pertraxit, eique ſororem Giſelam an, Ch. 1006. in matrimoniū tradidit,

123 CHVNRADVS II. CXXIII. ROM. IMP.

CHunradus II. Hermanni Ducis francorum & Lotharingæ Adelheidis filius, SALIQVVS cognominatus, Imperator creatus eſt Anno 1025. Diſſenſiones in Imperii initio ortas, ſumma prudentia ſedavit. Italiam ingreſſus, ut principes qui in libertatem ſe aſſerere volebant, ſibi ſubiectos redderet, Mediolanum obſedit, ſuburbia incendit, excidiumque & interitum vrbi minatus eſt. Mutata deinde ſententia, obſidionem ſoluit, Colonienſi Antiſtite id ei ſuadente, quod diceret beatum Ambroſium ſibi inter Miſſarum ſolemnia apparuiſſe, exitiumque omnibus minitantem, niſi ab urbe ſua diſcederent. Romam itaque Conradus proficiſcens, accepta à Ioãne Pontifice Imperii corona, in Sclavos & Vngaros, exercitũ duxit, qui rebellantibus Italis auxilia præſtiterant, eoſque brevi perdomuit. Rudolphum Burgundiæ Ducem, ſuorum ſeditionibus vexatum, tranquillitati reſtituit. Leopoldum Germaniæ Comitem, pacis & ocii turbatorem acerrimè perſecutus eſt. Leges multas & perutiles tulit, hanc præcipuè, ut cuivis Principi capitale eſſet, pacem & quietem provinciarum turbare. De Bello Polonis per eum illato, quos tributarios imperio reddiderit, *ea annales Polonici refutant.* Cum in Germaniam rediret, circa Traiectum, ſubita morte ſublatus eſt prid. Non. Iunii, an Ch. 1039.

Vixit annos . . . .

Imperavit an. 14. M. 10. d. 22.

Sepultus Spiræ. in Cathedral.



123. Omnium mores, tuos imprimis obſeruato.


CHunradi Imp. nummum ex Iac. de Strada accepimus. Et cum nobis deeſſet pars áuerſa, inſignia huius principis ne locus vacuus relinqueretur, apponenda curauimus; adiecto hoc ipſius Symbolo. Quod perpendens alicubi Magiſtratus, cauet, ne ullus nobilis prouincialis, aut patricius, ad exteras oras ſe conferat, abſq; ſuo permiſſu. Facta nobili aut patricio diſcedendi poteſtate, mandata accipit, ut diligenter obſeruet, quid in quauis regione moris ſit. Reuerſus, referre cogitur, quid memorabile viderit & obſeruauerit. Quod magiſtratus diligenter animaduertit, & leges ſuas inde conſtituit, imitans bonos, & negligens malos. Poteſt etiam particularis facilè mores ſuos ex aliorum moribus conformare, eos nimirum ſi quidem boni ſunt, ſtudioſe exprimendo: ſin mali, eos vitando. Nam ut Menander:

Progerminant fructum bonum mores boni.
At fructus hic, modeſtia eſt vita, bonus.

124. HENRICVS III. CXXIV. ROM. IMP.

HEnricus III. cognomento Niger, Conradi Imperatoris & Geſilæ filius, paulo ante patris mortem ab eodem de principum Electorum ſententia, Romanorum Rex deſignatus, imperij adminiſtrationem circa annum Chriſti milleſimum quadrageſimum ſuſcipiens, in Bohemos rebelles copias duxit, duceque eorum Vratiſlao capto, eos ſibi ſubiectos reddidit. Petrum Regem ab Hungaris eiectum, reſtituit, & regnum hoc variis motibus agitatum ſedauit. Romam contendens abdicatis adulterinis Pontificibus aliquot, Bambergenſem Præſulem Suidigerum Pontificiæ ſedi præfecit, qui Clemens II. dictus fuit, & ut caueret in poſterum Summorum Pontificum ſecuritati, iureiurando Romanos adegit, neminem creationi eorum interfuturum ſine eius permiſſu. Apud Capuam Sarracenos vicit. Moguntinæ Synodo Leone Papa præſente, interfuit. Cunonem Bauariæ Ducem, Hungarorum conſpiratione fretum, regnique poſſeſſionem ad ſe transferre conantem, vicit, ſuoque Ducatu priuauit, Cazimirum, qui diaconus & monachus, profeſſionis & ſacramenti religione à Pōtifice ſolutus, ad Regni Poloniæ gubernacula capeſſenda vocatus, è Cluniaco venerat, ſe amicum ac beneuolum præbuit, eoque ad Regnum deducendo præſidium addidit, diademata quæ Rixa è Polonia ſublata, Conrado patri ipſius donarat, reddidit, Bohemumque ducem ab inferendo Polonis bello cohibuit. Tandem, Henrico filio annos quinque nato Cæſare electo, & Aquiſgrani coronato, ægritudine correptus, deceſſit. 3. non. Octobr. Ann. Chr. 1056.

Vixit annos 38. m. 11. d. 8.
Imperauit an. 17.——4.——2.
Sepultus Spiræ apud patrem.



124. Qui litem aufert, execrationem in benedictionem mutat.

ICONEM Imp. Henrici, cum nummus nobis deeſſet, ex Treterohic adiecimus. Averſæ partis loco, ſignum eius ex Onuphrio appoſuimus, qui eum Henricum ſecundum & non III. eius nominis dicit. Videtur autem ſignum hæc habere:

Henricus Secundus Romanorum Imperator.

Nam omnes hæ literæ in eo continentur. Si quis tamen horum ſolers indagator, commodiorem attulerit explicationem, eam lubens ſum amplexurus. Gio Batt. Palatino, (del' arte de ſcriuere tutte le ſorti di lettere) edidit aliquos characteres, quos ſuâ linguâ lettere Cifrate vocat, hæc ſigna autem, ut ſuperpoſitum; Cifre quadrate nuncupat, deſcribitque breuiter modũ illa componendi.

His ſignis occultis utebantur circa hæc tempora Romanorum Cæſares, loco ſigilli, aut ſubſcriptionis nominis.

125. HENRICVS IIII. CXXV. ROM. IMP.

HEnricus IIII. Henrici III. Imperatoris & Agnetis filius, quinquennis, viuente patre, Cæſar creatus: imperij adminiſtrationem poſt obitum patris ſuſcipiens, omnia arbitrio matris fœminæ prudentiſſimæ, permiſit: quâ, vbi adoleviſſet, maleuolorum inſtinctu, ab imperij regimine amota, libertate adoleſcētiæ vſus, licentioſius omnia agere cœpit, vnde multorum ſibi odia conciliavit. Saxoniæ ob rebellionem grauiſſima bella intulit. A Gregorio VII. Pontifice anathemate notatus eſt, Principeſque ac ſubditi ab eius obedientia abſoluti fuere. Rudolphus Sueviæ dux à quibuſdam Electoribus, ſuadente Pontifice, Imperator eligitur, qui poſt multas pugnas, in noviſſima perijt. Victoria elatus Henricus Rauennatem epiſcopum Papam eligit, & Clementem vocat. Romam contendens, eaque per vim capta, Pontificem Gregorium à ſede ſua deturbavit, qui non multò poſt obijt. At Imperator à Clemente coronatus eſt. Princeps fuit certè, excepto quod Pontificem irritaverit, clarus, facundus, liberalis, acer ingenio, bellicoſus, & re bellica fortunatus; M. Marcello, & Caio Iulio Cæſare haud inferior, utpotè qui ſexagies & bis acie collata pugnaverit. Varijs deinde iactatus procellis, tandem à filio ſuo, quem pro conſorte Imperij habuerat, & ab Electoribus loco patris ſubrogatus erat, circa Leodium profugatus eſt, ibique in magnis anguſtijs poſitus, è vita exceſſit. 7. id. Aug. anno Ch. 1106.

Vixit Annos. 56.
Imperavit Annos 49. M. 10. D. 3.
Sepultus *Spiræ*, iuxta patrem & avum.



125. Multi multa ſciunt, ſe autem nemo.

EFfigiem Henrici IIII. ex Iac. de Strada, ſignum *Imp*, autẽ, ex Onuphrio depinximus. Paulò ante attigimus hunc Imperatorem à Pont. Max. Gregorio VII. eò quod audacter nimium & temerariè (ut verbis epiſtolæ excommunicationis Pontif. à Platina allegatæ utar) in Eccleſiam Petri manus injeciſſet, Imperatoria adminiſtratione deiectum, omnes imperij ſubiectos ab eius iuramento abſolutos, & eum anathematis vinculo colligatum fuiſſe. Poſthæc mandavit Pontifex Mogũtino & Colonienſi Archiepiſcopis, ut Rudolphum Sueviæ ducem in Imp. eligerent, quod legatis Romanæ ſedis præſentibus factum fuit: miſitque ipſe Pontifex Rodolpho coronam, cum hac inſcriptione:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho.

Hoc in Imperio magnum peperit diſſidium, pugnæ multæ per annos quatuor, undique commiſſæ ſunt. Nouiſſimè verò pugnatum apud Martisburgum, in quo conflictu Rudolphus dextram amiſit, & Herbipolim perlatus, perijt. Sunt qui ſcribunt: vbi Rodolpho ægrotanti adlata eſſet dextra, Princip bus & prælatis adſtantibus dixiſſe: Hæc eſt manus, quâ ſacramentum præſtiti Domino meo Henrico. Vobis autem urgentibus, contra eum pugnavi. Ite & implete Regi veſtro primam fidem: nam ego ad patres ibo, & ita obijſſe. Lege Blondum Lampert. & alios.

126. HEN-

126. HENRICVS V. CXXVI. ROM. IMP.

HEnricus V. Henrici Quarti ex Bertha Marchioniſſa filius, vir bellicoſiſſimus & audax, patrem ſuum, fœdere cum principibus inito, bello inſectatus, eoque mortuo, imperio potitus eſt, Anno milleſimo centeſimo ſexto. Romam profectus, ut coronam imperialem acciperet, maximos erga ſe tumultus concitatos vidit, & parum aberat, quin periret, niſi ſua ipſius manu vitam defendiſſet. Dolo magis quam virtute inſtructus, Paſcalem Pontificem, in poteſtatem redactum, eo pertraxit, vt omnes (Licet invitus) in Epiſcopos confirmaret, quos ante Henricus delegerat: ab eodemque imperiali diademate coronatus ex urbe deceſſit. Paſcalis autem concilio apud Lateranũ habito, omnia quæ Henrico conceſſerat, tamquam vi à ſe extorta revocavit, imperatoremque excommunicavit. Qua quidem re vehementer offenſus Henricus, Italiam repetens, Pontificem fugavit, aliumque in eius locum ſuffecit. Vnde variæ diſſenſiones, ſchiſmata, incendia & tumultus, in Germania excitati ſunt. Tertio Italiam inuadens, Gelaſium Pontificem vrbe expulit, qui etiã Cluniaci in Gallia diem clauſit extremum: in cuius fauoris vindictam, Germanorum & Saxonum rebellionem expertus eſt, ut etiam manus cum eis conſerere habuerit neceſſe. Bellorum tandem pertæſus, ad pacis ſtudia ſe contulit: vnde ſubſecuta eſt pax illa & cõcordia ſub Caliſto 2. in qua Epiſcoporum & Abbatum Electiones, quas Imperatores & Reges hactenus ſibi vendicaverant; clero & monachis reſtitutæ ſunt. Henricus autem in Traiecto inferiore, morbo correptus, obijt. 12. cal. Iunij, anno Ch. 1125.

Vixit annos.

Imperauit. an 18. m. 9. d. 15.

Sepultus Spire, apud maiores.

Interregnum fuit mens. 3. d. 23.

126. Mi



126. *Miſer, qui mortem appetit: miſerior qui timet.*

ICon Henrici V. ex Goltzio excerpta eſt. Et deficiente auerſa parte, eius loco, ſignum Cæſaris ab Onuphrio obſeruatum, & eius Symbolum ex Goltzio, adiecimus.

Beatus ille, qui ſe ita gerit, vt neque mortem timeat, neque optet. Vtrumque enim hoc eſt leuis animi, atque abiecti: & optare mortem, & metuere. Vnde Ouidius: *timidi eſt optare necem*: & Martialis:

Rebus in aduerſis facilè eſt contemnere vitam:
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

Et alius:

Metuere mortem magna eſt herculè ineptia.

Seneca Epicuri ſententiam recitat, quâ obiurgat non minus, qui mortem concupiſcunt, quàm eos, qui timent. Marcellinus lib. 25. Æquo iudicio iuxta timidus eſt & ignauus, qui cum non oportet, mori deſiderat, & qui refugit, cum ſit opportunum.

127. LOTHARIVS II. CXXVII. ROM. IMP.


LOtharius Saxoniæ Dux, Gebhardo Comite in Arnsberg & Heduige Burgrauia Nurimbergenſi natus, poſt Henrici Imperatoris obitum, ab Electoribus Cæſar, & quidem ſatis reluctans, creatus eſt. Anno 1127. Vir induſtrius & prudens, religioſus, hoſtibus terribilis, iuſtitiæ & æquitatis amantiſſimus. Initio Imperij Fridericum & Conradum Duces, ex ſorore Henrici Imperatoris nepotes, qui iure ad ſe imperium pertinere cõtendebant, compeſcuit, & per D. Bernardum pacis conditionibus conſtitutis, in gratiam recepit. Innocentium Papam II. quem Petrus Pſeudo-Pontifex ſede expulerat, in Italiam cum exercitu duxit, ſuæque ſedi reſtituit, & ab eo Imperij diademate inſignitus eſt. In Germaniam ad comprimendos quoſdam in Bohemia motus, cum rediſſet, & eiectum iterum Innocentium Roma accepiſſet, ſecundo in Italiam cum valido exercitu profectus, eum, pulſo ex Italia Rogerio Nortmanno, & Pſeudo-Pontifice, ita in Pontificali ditione confirmauit, vt nihil indè mouere Pontificis aduerſarij ſint auſi: ſed breue Imperium annorum 11. effecit, ne res felicibus auſpicijs cæpta coaleſcere admodum potuerit. Rediens ex Italia per Tridentinam vallem, Veronæ morbo correptus, occubuit. Prid. Cal. Octobr. Ann. Chr. 1138.

Vixit annos.

Imperauit. an 13. M. o. D. 18.

Sepultus in Saxon. monaſt. Luther.

Interregnum fuit mens. 6.



127. *Audi alteram partem.*

IMperatoris Lotharij II. anterior pars numiſmatis ex Iac. de Strada ſumpta eſt. Onuphrius hoc ſignum huius Cęſaris nobis tradidit. Symbolo ſapientiſſimo docemur nullum inauditum damnandum. Recte Plato: Quo pacto quiſpiam aut ius rectè dicere, aut homines decenter iudicare poſſet, qui non vtrunq; litigatorem audierit? Sermones enim, vt purpura & aurum, melius diiudicantur, ſi inuicem conferas Et Alexander Magnus, cum in cauſſis præſertim capitalibus, ſederet iudex, ſiniſtra manu aurem dextram occludebat: ſignificans hoc geſtu, ſe alteram quidem aurem præbere actori: alteram verò integram conſeruare reo. Et vetus illa lex Attica, præcepit æqualiter utramque partem audire. Quod Heſiodus monet hoc verſu:

Iudicium non antè feras, quàm audiueris ambos.

R 128. CON-

128. CONRADVS III. CXXVIII. ROM. IMP.

CONradus III. filius Ducis Sueuiæ & Agnetis filiæ Henrici IIII. ab Henrico V. Princeps Francorũ factus, mortuo Lothario, legitimè Cæſar Anno 1138. electus, contra Henricum Bauariæ & Saxoniæ Ducem, qui cum gener Lotharij eſſet, imperialiaque ornamenta apud ſe haberet, imperium affectabat, bellum geſſit. Rogerus Siciliȩ rex à Papa, contra Conradum, Romanorum rex dicitur, bellumq; ei intulit, ſed non procul à Vinsberg opprimitur Caſtrum autem obſidione coegit, ut Rogerij milites illud certis conditionibus cȩdere vellẽt; Conradus verò illis nullam gratiam facere voluit, præterquã, ut mulieres liberæ exirent & quantum poſſent, ſuæ ſupellectilis auferrent. Cum Cæſar id rãtũ haberet, vna quæq; ſuum maritum humeris impoſitũm è Caſtro tulit, & ſic vitam, vxorum aſtutia, milites obtinuêre. In Syria Sarracenorum, Turcarumque vi inclinata, Edeſſaq; nobili, & vetuſta vrbe Meſopotamiȩ, quæ tũc à Gallis tenebatur, expugnata, & magno terrore, Chriſtianis in Aſia militantibus iniecto, cum Ludouico Gallorum Rege, & compluribus Principibus viris, à D. Bernardo incitatus, expeditionem in Syriam ſuſcepit, & per Poloniam, iter faciens, à Boleſlao Criſpo Polonorum Rege liberaliter acceptus, & vſq; ad Pontũm Euxinum cum exercitu deductus eſt. Sed dolo Emanuelis Imperatoris Conſtantinopolitani, qui commeatui à Græcis importato gypſum & calcem immiſerat, exercitus maxima Parte delata, cum non multum operæpretij feciſſet, in Germaniam reuerſus, bellum Polonis, vt Vladiſlaum exulem in principatum reſtitueret, intulit: quod tamẽ Boleſlai regis ei cum exercitu occurrẽtis, & neceſſarium fratris exilium luculenta oratione demonſtrãtis, induſtria ſublatum fuit. Nec ita multò poſt Conradus in Lorchenſi oppido, apud Gemam mortuus eſt, 15. Cal. Martij, ann. Ch. 1152.

Vixit annos.

Imperauit. an. 12. M. 10. D. 15.

Sepultus Bambergȩ.



128. *Pauca cum alijs, multa tecum loquere.*

ANterior pars ſiue effigies Imp. Conradi. III. ex Tretero delineata eſt, cum eius Cæſaris nummi non reperiantur, Loco auerſæ partis inſignia Sueuiæ adiunximus.

Hujus Cæſaris Symbolum docet, tacere & meditari plus artis eſſe, quam loqui; & non temerè quiduis apud quemuis effutiendum eſſe, ac ne quidem coram familiaribus omnibus omnia arcana proferenda. Nam vnusquiſq; alium habet, cui tãtum credit, quantum ipſi creditum eſt. Res enim omnium difficſlima, tacere & audire, auth. Gellio. Ariſtoteles interrogatus: Quid difficile? Tacere inquit quæ dicenda non ſunt. Et Val. Max. Optimum ac tutiſſimum adminiſtrandarum rerum vinculum eſt taciturnitas. Euripides etiam pulchrè de ſe iactauit: Multa (inquit) ſecreta in ore meo computruerũt. Magnæ enim ſtultitiæ eſt, quod ipſe tacere nõ poſſis, poſtulare, ut taceat alius, cuius non tantum intereſt.

129. FRIDERICVS BARBAROSSA CXXIX ROM. IMP.

FRidericus cognomento Barbaroſſa, Friderici Ducis Sueuorum, (fratris Conradi Imp) & Iudithæ filius, princeps manu ingenioq; ſtrenuus, validus concilio, periculorum contemtor, liberalitate, affabilitate, corporiſque decore venerabilis, Conrado defuncto ab vniuerſis Germaniæ principibus Rex Francofordiæ electus eſt, Anno Chriſti 1152. Bauariam & Auſtriam in concordiam redegit, Ducem Bohemiæ primo Regem appellauit. Italiam ingreſſus Dorthonam, portas ſibi claudentem, per vim cepit. Romam veniens ab Adriano Pontifice, cum ei ſtratoris officium exhibuiſſet, coronam accepit. Reuerſus in Germaniam precibus Vladiſlai exulis inductus, in Poloniam expeditionem ſuſcepit: in qua cum maiorem quàm initiò credebat difficultatem vidiſſet, ad compoſitionem res deuenit, ijs conditionibus: vt Vladiſlaus exul ad Sileſiæ tantum dominatum admitteretur, Boleſlaus vero eius frater, Poloniæ Rex, trecentos haſtatos equites, Imperatori mitteret in auxilium Mediolanenſis belli: quo urbem illam, ſæpius rebellantem, ſub iugum redactam, paulò poſt funditus euertit. In Germaniam abiens, iterum Italiam maximis copiis inuaſit, & Mediolano iterum rebellante bellum intulit. Tertio Italiam intrans Alexandrum III. Pontificem ex vrbe fugere compulit: qui cum Venetias profugiſſet, & Otho Imperatoris filius captus eſſet, pacis conditiones Venetorum opera ſancitæ ſunt. Imperator expeditionem Hieroſolymitanam aggreſſus, in Cilicia multas Vrbes, Sarracenos, & Turcas proſtrauit. At cum in Armenia (ut aliqui volunt) ob æſtum mitigandum ſudoriſque abluẽdi cauſſa, amnem quendam ingreſſus eſſet, alueo abſorptus, ſtrenuiſſimus heros periit. 4. Id. Iunij, anno Ch. 1190.

Vixit annos.......
Imperauit an. 37. M. 3. D. 15.
Sepultus Tyro.



129. Præſtat uni probo, quam mille improbis placere.

CVm hic nullam haberemus materiam auerſæ partis explicandæ, ob defectum nummorum: reconciliationē Pontificis Alexandri & Imp. Friderici, obiter ex Hiſtoria Rerum Venetarum Petri Iuſtiniani, Venetiis An. 1576. edita adiicere viſum eſt. *Othone Federici* (vt eum nominat Iuſtinianus.) *Imp. filio à Venetis capto, mox cum Venetis egit, pollicitusq; eſt, ſi in Germaniam proficiſceretur, fore, ut pater cum Alexandro Pontifice, & Veneto Senatu in gratiam rediret: ſi non, ſolemni iuramēto fidem ſuam aſtrinxit, ſe quàm primum rediturum. His dimiſſus ad patrem in Germaniam veniens, Federicus de reconciliatione cum Alexandro & Venetis per legatos agere cœpit: nec multò poſt Venetias acceſſit. Vbi peruentum, Alexander Pont. ad D. Marci templi fores ſella ſedens aurea, Cardinalibus, Ziano Principe, Senatuq; omni aſtantibus, Federicum expectatabat. Is ubi proximo loco ſtetit, purpuream humeris clamydem depoſuit, atque, humi, Imperiali amoto faſtu, procumbens, Pontificis pedes exoſculatus eſt. Alexander autem Federici collo planta ſuperpoſita, Dauidicum illud protuliſſe dicitur:* SVPER ASPIDEM, ET BASILISCVM AMBVLABIS, ET CONCVLCABIS LEONEM ET DRACONEM, &c.

130. HENRICVS. VI. CXXX. ROM. IMP.

HEnricus VI. Friderici Barbaroſſę & Beatricis filius viuente patre Romanorum Rex deſignatus, Aquisgrani coronationis inſignia ſuſcepit. Patre mortuo, anno 1190. imperio potitus, primum bellum geſſit, aduerſus Colonienſem, & Leodienſem Epiſcopos: ſed Leodienſi Epiſcopo confoſſo, pacata demum ſenſit omnia. Profectus in Italiam, Romæ diademate Imperiali inſignitus eſt. Conſtantiam Rogerij Siciliæ Regis filiam, monialem, annos ſexaginta natam diſpenſatione Pontificis Cœleſtini III. in vxorem accepit, ea conditione ut Regnum Siciliæ eis & vltra Pharum dotis nomine repeteret, reſeruato cenſu, qui Pontifici feudatario iure quotannis ſolueretur. Hac igitur de cauſſa Tācredo Regi Siciliæ, Rogerij ex cōcubina filio, bellum intulit. Neapolim primo fruſtra obſedit, peſte in exercitu graſſante, ſed tamen paulò poſt ea capta, totam Apuliam, Calabriam & Siciliam ſubegit: ſubſecuta Tancredi morte, ſecurior etiam factus, inſignes copias, adhortante Cœleſtino Pontifice Hieroſolymam cōtra Sarracenos miſit, iiſque Moguntium Archiepiſcopum, & Philippum fratrem præficiēs, ipſe cum vxore & filio, in Sicilia manſit. Cumque venationi indulgeret, ac in quodam nemore, vbi erant frigidiſſimi fontes, calorem lenire volens, noctu ſtratus in terra quieſceret, in morbum repente incidit, eoque inualeſcente Meſſanam delatus, paulo poſt obiit. Prid. Cal. Octobr. anno Chr. 1198.

Vixit annos.

Imperauit an. 8. M. 2. D. 22.

Sepultus Panhormitanæ.

Interregnum fuit, menſium 6. D. 8.

130. Qui



130. Qui neſcit tacere, neſcit loqui.

Imperatoris Henrici VI. Iconem, ex Goltzio deſumpſimus. Signum eius Onuphrius nobis tradidit. Ipſius Cæſaris ſymbolum, à Goltzio deſcriptum fuit: *Qui tacendi non habet artẽ, nec loquendi nouit opportunitatem.* Quo ſignificatur, eiuſdem artis eſſe, & rectè tacere, & rectè loqui. Nam teſte D. Gregorio: rectè ſcit loqui, qui ſcit ordinatè tacere: utrumque verò hoc ſapientis eſt. Sapiens enim non ſolùm quod loquitur, ſed & opportunitatem loci & temporis & perſonæ, cum loquitur, ſtudiosè inquirit, teſte Iſodoro. Et ea oratio laudem meretur, quæ & ſapiens eſt, & breuis, & opportuna. Quapropter rectè illud:

Si fore vis ſapiens, ſerua ſex quæ tibi mando:
Quid dicas, & vbi, de quo, cui, quomodo, quando.

131. PHILIPPVS III. CXXXI. ROM. IMP.

PHilippus Sueviæ Dux, Friderici Barbaroſſæ filius, frater Henrici, qui eum filio ſuo Friderico moriens, tutorem reliquerat, princeps fuit ingenio manſueto & miti. Cæterum orta in Germania ſeditione non parva, cum pars Electorũ Othonem Saxoniæ Ducem, pars autem ipſum Imperatorem elegiſſet, ad arma neceſſario confugit. Stabant pro Othone, Pontifex Innocentius III. & Anglorum Rex, Philippo, Gallorum Rex fauebat. Prævaluit tamen Phillippus, & fugato ſæpius Othone, rerum tandem potitus, Pontificem ſolum adverſantem (qui Othonem Imperij corona iam redimiverat) filiam ſuam nepoti Pontificis ex fratre in matrimonium collocans, ſibi reconciliavit, & ab excommunicatione abſolutus eſt. Othoni quoque aliam filiam Beatricem, ut tanto firmior pax inter eos coiret, vxorem tradidit. Rebus ad eum modum rectè compoſitis, cum Phillippus Bambergæ ageret, & quodam die venam inciſiſſet, nihilque mali ſuſpicans, paucos in conclavi ſecum haberet, ab Othone de Witilſpach cubiculum ingreſſo, nemine prohibente 10. cal. Iulij, an Ch 1208. interfectus eſt. Otho quoque parricida non multo poſt miſerabiliter trucidatus, periit.

Vixit annos. . . . .,
Imperavit in ſchiſmate An. 9. M. 3. d. 15.
Sepultus Spiræ.

131. Quod



131. *Quod malè cœptum eſt, ne pudeat mutaſſe.*

HIc nummus Philippi. III. cum effigie eius, à Iac. de Strada deſumptus eſt. Inſignia Principum Sueviæ, & Imp. Symbolum, ex Goltzio, averſæ partis loco, adiecimus. Eo monemur, ſatius eſſe recurrere quam malè currere. Nam præſtat mutare conſilium in melius, quam in malè inſtitutis pergere; cum errare quidem & labi humanum ſit, ſed in errore perſeverare, at poſt lapſum reſurgere nolle, inhumanum. Sic nec inconſtantis eſt, etiam benè cogitata conſilia mutare, & ſententiam, tanquam aliquod navigium atque curſum, ex Republicæ tempeſtate moderari.

Nam ſera nunquam eſt ad bonos mores via.
Quem pœnitet peccaſſe, penè eſt innocens.

132. OTHO. V. ROM. IMP. CXXX. II.

OTho qnintus, Henrici Bavariæ & Saxoniæ ducis filius, cū viuente Philippo, adverſus quem bello fruſtrà decertaverat, Imperium aſſequi non poſſet, eo mortuo, eum honoris gradum tandem adeptus eſt; cum ab Innocentio III. Pontifice Maxim. Romæ coronā imperij ſuſcepiſſet, an. Ch. 1208. Rerum feliciori ſucceſſu elatus, occupatis Monte flaſcone, Radicofano, multiſque Eccleſiæ Romanæ oppidis, regnum Neapolitanum invaſit, id adoleſcenti Friderico ſecundo ſublaturus. Admonitus à Pontifice cum ab iniurijs inferendis deſiſtere nollet, ab eodem an. Ch. 1210 excommunicatus, & Imperatoris titulo an Ch. 1212. privatus eſt. Bohemiæ Rex, cum Mogūtino & Treverenſi Archiepiſcopis, Lantgravio Thuringiæ atque Auſtriæ Duce, ſuadente, Fridericum ſecundum, Siciliæ Regem, vigeſimum annum agentem, Imperatorem elegere. Otho autem in Germaniam rediens, contra Lantgraviū Thuringiæ bellum fruſtra movit: Friderico etiam cum exercitu occurrere ſtatuit. Verum deſtitutus omni ſuorum præſidio, in Saxoniam profugere coactus eſt; atque reparato exercitu, Angliæ Regis opera adiutus, in inferiorem Germaniam, contra Gallorum Regem contendit: à quo victus & mærore confectus, ab excommnnicatione abſolutus, diem in Saxonia clauſit extremum 5 cal Maij. anno Ch. 1218.

Vixit annos ....

Imperavit { contra Philippum An. 10. incirca
post eius obitum An. 10. M. 2. }

Sepultus........



123. *Anſer ſtrepit inter olores.*

Othonis V. pars anterior, ex Iac. de Strada deſcripta eſt. Loco averſæ partis deficientis, ſignum quadratum eius Imperatoris ex Onuphrio appinximus. Emblema adſcriptum indicat:nihil eſſe quod tam attrahat & alliciat ad amicitiam, quàm ſimilitudo, quâ fit, ut boni bonos diligant, mali autem malos. Similitudo mater eſt amoris & benevolentiæ, & conſuetudinis amicitięquè conciliatrix: Simile enim amicum ſimili, *& ſimile ſimili gaudet*: & ,vt in Græco verſu eſt:

Spontè boni accedunt conuiuia læta bonorum.

Quod ſi aliquando,ut fit, mali bonis, & ſtulti ſapientibus hominibus congregentur: Tunc demùm verum eſt,quod proverbio dicitur, *Anſer inter olores.*

133, FRI-

133. FRIDERICVS II. CXXXIII. ROM. IMP.

FRidericus II. rex Siciliç & dux Sueviæ, Henrici VI. Imperatoris & Conſtantiç Reginæ Monialis filius, contra Othonem IIII. Cæſar electus. Aquiſgrani primum, anno 1212. deinde Romæ, coronam Imperii ab Honorio III. Pontifice Max. accepit, an. Ch. 1213 Henricus eius filius Rex Romanorum appellatur, regnavit cum patre, an. XII. Pontifex Honorius autem patrem & filium, eo quod ditionem Pontificiam vexaſſent, excommunicavit. Henricus ab Othone Bauariæ duce captus, in Apuliā cuſtodiæ datus, in carcere miſerabiliter maceratus eſt. An. Ch. 1235. ætatis 22. vide Onuphrium & Treterum. Honorij ſententiam autem ſucceſſor eius Gregorius IX. in eum renovavit, quod admonitus expeditionem Hieroſolymitanam in longum trahere non deſiſteret, & ægritudinem ſimulans in Sicilia ſe contineret: feſſus tandem amicorū precibus & minis Pontificiis mare traiecit, Cyprum, dehinc Accon pervenit, & Hieroſolymam poſtea ex pacto à Stultano recepit, Regiſque Ioannis Hieroſolymorum filiam Iolem dictā ſibi in matrimonium, ibidemque regni eius titulum & coronam ſumpſit. Interim Pontifex, magno exercitu Apuliam in ditionem remittit, quapropter Imperator ad tuendum patrimonium ſuum in Siciliam magnis copiis venit, & interceſſione Principum de excommunicatione abſolutionem obtinuit. Paulò poſt iterum, à Pontifice excommunicatus, in Italiam deſcendens, Mediolanenſes aliaſque Vrbes pro Pontifice ſentientes, prœlio vicit. Ob id tertio à Papa excommunicatus, Piſas ſe recipiens, cum non ſatis ſibi conſtaret, qui partes ſuas, qui ne Pontifices ſequerentur, civitates Italiæ in duas factiones diviſit. Nam qui Pontifici favebant *Guelphi*, qui vero Imperatori *Gibellini* appellati ſunt, à duobus fratribus Teutonicis (qui in ſeditione Piſtorienſi factiones ſuas inſtituerant) nomine deducto. Factionibus iſtis teterrimis adeo Gregorium exercuit, vt ille non multo poſt obierit. Cœleſtino autem intra XII.



133. *Complurium triariorum ego ſtrepitum audiui.*

ANteriorem partem nummi Frederici II. Imp. cum eius effigie, ex Goltzio depinximus, cuius inſcriptio eſt:

IMP. FRIDERICVS II. PERP. AVG.

Perpetuus Auguſtus, idē eſt quod Semper Auguſtus, quod hodierno die ab Imperatoribus uſurpatur, eo, vt videtur, optantes ſibi ſecundam fortunam, & proſperitatem Cæſaris Augusti. Loco averſæ partis adiecimus ſignum huius Imperatoris ex Onuphrio. Symbolum appoſitum, Goltzius huic Cæſari attribuit. Sunt enim qui memoriæ prodiderunt, quod cū intellexiſſet Imp. excommunicationem in ſe à Pontifice Gregorio IX. Honorii ſucceſſore, renovatam, & ſe regno iterum privatum eſſe, illud dictum vſurpavit:

Se complurium triariorum ſtrepitum audiuiſſe.

trax II. diem vita functo, ſucceſſit Innocentius IIII. qui convocato Lugduni Concilio, Imperatoreque citato, & non cōparente, cum anathemate notavit, imperiali dignitate privavit; Henricumque Lantgravium Thuringiæ illi ſuffecit, qui intra annum ſagitta prope Vlmam occiſus eſt. Fridericus autē filium ſecundum ſuum Chunradum regem Romanorum appellauit. Parmam obſidione cinxit, eruptione tamen victus Cremonam confugit. Regnum Siciliæ occupat ubi morbo correptus; Mãfredi filij nothi dolo necatur. Id. D. an. Ch. 1250.

Vixit Annos 57.

Imperavit { in ſchiſmate An. 6. / ſolus autem An. 32.

Sepultus Montis Regalis Siciliȩ.

Plerique hiſtorici interregnum hic ſtatuunt poſt Fridericū II annorum 22. ab eius obitu an. Ch. 1250. ad electionem Rodulphi Comitis Habſpurgenſis an. Ch. 1273. Quapropter nec Goltzius nec Treterus ullas interpoſuere Cæſarum imagines: ab Onuphrio autem omnium Antiquitatū ſcrutatore diligētiſſimo, & Iac. Strada, hi commemorantur.

Conradus IIII. Friderici II. filius, Romanorum rex à patre appellatus eſt, an. Ch. 1234. ſive ut alij volunt, an. 1236. Coronatus Aquiſgrani ab Henrico Colonienſi Archiepiſcopo. Regnavit cum patre an. 18. aliâs 15. Solus autem an. 3. m. 5. D. 10. obiit Neapoli, ibique ſepultus eſt 11. Cal. Iunij an. Ch. 1254.

Guillelmus filius Florentij III. Comitis Hollādiæ, Zelandiæ & Friſiæ, & Mithildis filia Henrici Ducis Brabantiæ: contra Fridericum II. & Conradum IIII. eius filium, rex Romanorum appellatus eſt in Nuſſia an. Ch. 1246. Coronatur Aquiſgrani à Chunrado Archiepiſcopo Coloniēſi. Regnavit in ſchiſmate cum Friderico II. an. 4. cum Conrado IIII. an. 3. M 5 D. 10. ſolus autem annum unum circiter. Occiſus eſt iuſidiis Friſiorum an. Ch. 1255. ætatis 26.

Quo mortuo, fuit interregnum annorum 2. menſium aliquot. *Richardus* Comes Cornubiæ Ioannis regis Anglorum & Eliſabethæ filius, rex Romanorum ab una parte Electorū crea-

tur.



tur, nimirum Ludovico Palatino Rheni, & Archiepiſcopis Moguntino & Colonienſi Francofordiæ in Germania, an. Ch. 1258. 8.Id. Ianuarij, coronatus Aquiſgrani à Chunrado Archiepiſcopo Colonienſi. Regnavit in ſchiſmate contra Alphõſum Hiſpaniæ regem, an. 6. Occiſus an. Ch. 1263.

Alphonſus rex Caſtellæ & Legionis, in Romanorum regem, ab altera parte Electorum; videlicet rege Bohemiæ, duce Saxoniæ, Marchione Brandenburgenſi, & Archiepiſcopo Treverẽſi, contra Richardum eligitur, pridiè Cal. Aprilis an. Ch. 1258. Regnavit an. XI. M. VI. D. XIII. ſponte abdicavit ſe imperio Cal. Octob. anno Ch. 1273. & non longè poſt Hiſpali, quæ nũc Sevilia dicitur, obijt, ibique ſepultus eſt,

134. RV-

134. RVDOLPHVS. I. CXXXIIII. ROM. IMP.

RVdolphus Comes Habſpurgenſis, Ottocari Boëmiæ Regis Marſcallus, ſiue Curiæ Magiſter, poſt viginti duorum annorum, quo varij ut dictum de imperio conſequendo decertabant, concordibus Electorum votis, cum Ottocarus imperatorium decus ſibi delatum, ſuperbius aſpernaretur, Francofordiæ Imperator electus, Aquisgrani coronatus eſt. Anno Chriſti 1273. Ottocaro in verba ſua iurare dedignanti bellum intulit, eoque acie victo & occiſo, Regnum Bohemiæ, in ſuam poteſtatem redactum, Venceſlao Ottocari filio, data ei in matrimonium Gutta filia, reſtituit. Albertum filium ſuum, Auſtriæ Ducem creauit, à quo Auſtriaci Principes originem trahunt. Heluetios, qui Comiti Sabaudiæ parebãt, paruo negotio ſubegit, pſeudo Fridericum, qui ſe pro Friderico iuniore, Sueuis per ſummam impoſturam oſtentabat, multaſque vrbes ad ſe pellexerat, captum Noueſij cum duobus ſociis comburi iuſſit. Comitem Virtembergenſem Eberhardum inuaſit. Stutgardium obſedit: tandem cauſſa per Epiſcopum Moguntinum tranſacta eſt. Bononienſes, Florentinos, Genuenſes, Lucenſeſq; ingenti accepta pecunia, maximo Imperij præiudicio libertate donauit: vnde auaritiæ ſtudio à pleriſque reprehenditur, princeps alioquin laudatiſſimus & religioſiſſimus. Senio confectus, viribus ſe deſtitui ſentiens, Principibus Francfordiam conuocatis filium ſuum Albertum, Romanorum Regem deſignari voluit. Illis autem recuſantibus, Argentinam conceſſit, indè Erfordiam, vbi cum lethaliter ægrotare cœpiſſet, Spiram tanquam ad ſepulchrum contendens, in Germeshaim diem clauſit vltimum. Prid. Cal. Octobr. anno Ch. 1291.

Vixit annos 73 m 5.
Imperauit an. 17. m. 11. d. 19.
Sepultus Spiræ.



134. *Maioris artis eſt benè imperare, quam ampliare.*

QVemadmodum Pœnis, Romani populi legatus, eodem ſinu pacem & bellum offert: ita Imp. Romanorum Rodolpnus I. Cæſar, eadem manu hoſtibus & dubiæ fidei ſociis, vt animadvertis ex ſparo & ramo olivæ. Typotius. *Hinc* benè adiectum:

VTRVM LVBET.

Quo notatur quod etiã hieroglypta docet, Cęſarem hunc in utrumque, ut loquitur Virgilius, paratum fuiſſe, ſeu bellum gerere ſeu pacem colere. Parœmia *Græcorum* eſt, altera manu haſtam, altera caduceum præferens. Quam ex Pauſania adnotat Euſtathius, & à Gephyræis natam eſſe oſtendit, quos ſcribit à Tanagræis bello infeſtatos, fecialem præmiſiſſe cum caduceo, ſub pacis legationiſque prætextu, armata ponè iuvenũ manu ſubſequente. Polybius etiam lib. 4. habet, quæ huc ſpectant: *Ad Byzantinos, inquit, Rhodij legatum Aridicen delegarunt, ſimulque cum eo Polemoclen tribus inſtructum triremibus emiſerunt, volentes ſimul & haſtam & caduceum, iuxta proverbium mittere ad Byzantinos.*

Huc quoque Virgilius reſpexiſſe videtur, dum inquit:

Pacem orare manu, præfigere puppibus arma.

Nam ſéper videtur imperare, quoties iratus rogat hoſtis. Et potentia propè neceſſitatem habet. Qui plus poteſt, plus valet.

274. ADOLPHVS. CXXXV. ROM. IMP.

ADolphus (quem alij Ataulphũ dicunt) Haſſiæ & Naſſoviæ Comes, Francofordię ab Electoribus Cæſar creatus, An. Ch. 1292. & Aquiſgrani coronatus, primum in Columbarienſes movit. Deinde in Albertum, Rudulphi Cæſ. ſuum bellum paravit. Sed ea res infeliciter ei ceſſit. Nam cum potens ſatis non videretur à Proceribus Germaniæ eum pertęſis, Imperio deſtituitur, ac in eius locum Albertus Auſtrius eius adverſarius Moguntiæ cooptatur. Cum autem Adolphus cedere nollet Imperio, Otthonis Bavariæ ducis, Rodolphi Comitis Palatini, & quarundam Imperialium civitatum fretus auxilio, armatis copiis contra eum profectus eſt Albertus, & infeſtis ſignis utrinque pugnatum eſt inter Spiram & Vormaciam, quo in conflictu periit Adolphus. Idibus Iulij An. Ch. 1299. Treterus, & Appendix S. Aurelij victoris.

Vixit annos..............

Imperavit An. 7. M 6.

Sepultus Frovenfeldt, mox Spiræ.



135. Præſtat vir ſine pecunia, quam pecunia viro.

ADolphus ab Auguſto hoc ſymbolum ſumſit: Auguſtus ab Euripide. Verba duo naturâ inter ſe oppoſita, & arte decenter coalita. Hæc loquuntur, tantùm vocem non edunt, anhora, quam moliri operoſum eſt: & Delphin, quo nihil expeditius. Præcipitare negocium, eſt id perdere. Si aliis in rebus mutare conſilium & rationes licet, in bello, pœnitentiæ non eſt locus, vt hoc non ad voluptatem pictum, ſed ad neceſſitatem præceptum intelligas, *Typotius.*

FESTINA LENTE.

Quod ad alterum Symbolum attinet, quod *Goltzius* Adolpho Imp. tribuit, videtur à Themiſtocle ſumptum. Is enim, cū ex procis filiæ probum virum diviti prætuliſſet, nonnullis hoc admirantibus: *malo*, inquit, *virum abſque pecunia, quam pecuniam abſque viro.* Sentiens nimirum melius virum pecuniis, quam pecunias viro indigere, facileque poſſe virum ſtrenuum comparare pecuniam, ſemper autem ignavo pecuniam eſſe inutilem atque exitioſam.



136. *Quod optimum, idem iucundiſſimum.*

HÆc cunctationi oppoſita eſt: telum enim volatile Albertus I. manu tollit, tantum non vibrat:& increpans in negocio prægnanti, tarditatem, TOLLE MORAS inquit: ex Lucano fortè. Rectè, imò Regiè. Nam Alexander Magnus, interrogatus, quomodo tantas res, ea ætate geſſiſſet? Nihil differens, ait: Cæſar nihil minor, celeritate ſæpius, quam vi vicit. Eiuſmodi Principes cum habemus, non eſt quod alios de Rep. gerenda conſulamus. Erudiunt enim ipſi nos. Tantum abeſt, vt alienis, vel rudimentis, vel præceptis indigeant. Hic certè Imperator, duobus verbis ſummam belli gerundi complexus eſt. Tanti eſt cum in omnibus rebus, tum bellicis præcipuè nō feriari Hactenus Typotius. Symbolo *Quod optimum, idem iucundiſſimum*, vt videtur, monemur nihil divinius, nihil magnificentius, nihilque ſublimius eſſe magiſtratu. Nam & animata Dei imago, in terris eſt Princeps, & quod imperat, pro Deo habetur, ſicut quidam Philoſophus dixit, Rex inculpatè imperans, & lex quædam animata exiſtens, Dei gerit imaginem iuter homines.

137. HENRICVS VII. CXXXVII. ROM. IMP.

HEnricus VIII. Comes Lucemburgenſis, Henrici & Beatricis filius, vir pacis, belliquè artibus & pietate in Deum, egregiè inſtructus, Alberto occiſo, legitimis Electorum ſuffragiis Francfordiæ Anno Chriſti 1308. Cæſar electus, à Clemente S. Pontifice, ea lege confirmatus eſt, vt intra biennium Romæ coronam accepturus, Italiam ingrederetur, quo faciliùs factiones Gibellinarum, qui in Columnenſes, & Welphorum qui in Vrſinos mutati iam erant, compeſcerentur. Paruit Pontifici Henricus, & cum ingentibus copiis per Taurinos ſaltus, in Italiam deſcendit, ac tantam formidinem Italiæ incuſſit, quantā multo tempore antea Imperator nullus alius. Mediolani Turrianam factionem, detectis inſidiis oppreſſit. Vicecomiti ſumma rerum demandata, Vrbes quaſdam, Cremonam, & Brixiā ſeſe dedere nolentes, vi cepit, reliquas vltro parentes recepit. Romam vi ingreſſus à tribus Cardinalibus à Pontifice, qui tū Avinione in Gallia morabatur, delectis coronationis inſignia ſuſcepit, Romanoſque in verba ſua iurare coegit. Vrſinorum poſtea factione, & Roberti Neapolitani Regis auxilio, Tybur abire compulſus, Hetruriam regredi ſtatuit, Aretijque agens Robertum Regem, hoſtem imperij, ac ſeſe maieſtatis reum denunciavit, & tamquam rebellem Appulo & Campano regno privavit: cumque adverſus eum profecturus Piſis copias colligeret, & Florentinos obſidione premeret, eum monachus à Welphis ſubornatus, veneno, quod Euchariſtiæ illitum Imperatori dederat,. perdidit. Cum ſe moriturum videret monachum, ut fuga ſibi conſuleret, admonuit. obiit 9. Cal. Sept. An. Ch. 1313.

Vixit Annos 51. m. 1. d. 7.
Imperavit An. 4. m. 9.
Sepultus Piſas.
Interregnum fuit an 1. m. 11. d. 12.



137. *Goltzius. Calix vitæ, calix mortis.*

F*Ide*, parentium puta: *conſilio* autem imperantis, Reſp. firmatur. Atque hæc quidem, caduceo coronato vult Hierographus. Nam Mercurij virga, inter angues forte dimicantes inſerta, pugnam diremit: qui parte media, ſui voluminis, nodo, quem Herculeum dicunt, inter ſe vinciuntur: & ab hoc reflexi, dum in oſcula coëunt, circulum deſcribunt. Sic ſcilicet iudicio Magiſtratus, controverſiæ inter cives dirimuntur: & eiuſdem *conſilio* bella cum hoſtibus finiuntur. Manus verò inter ſe devinctæ, non tantum volunt fortaſſe *fidem* civium, ſed mutuam benevolentiam civium & Magiſtratus: iurat in leges, & iniuratus legibus Divinis tenetur: naturalibus obſtringitur. Typotius; De Mercurij Caduceo plurib. egimus ſub nūmo. 3. & 81.

138. FRIDERICVS III. ROM. IMP. CXXXVIII.

FRidericus Dux Auſtriæ, cognomento Pulcher, Alberti Cæſaris & Elizabethæ filius, aliquorum Principum ſuffragijs, Anno Chriſti 1313. Francofordiæ Cæſar electus, Bonnæ coronatus, Ludovicum Bavariæ Ducem, conſobrinum ſuum adverſarium habuit, qui ab aliis Electoribus Imperator itidem deſignatus, Aquiſgrani Imperij inſignia accepit. Diviſio hæc electorum, ingentis belli civilis occaſionem per octo ferè annos in Germania peperit. Anno 1315. collatis ſignis pugnatum eſt ad Neccharem fluvium. Vtrinque multa millia hominum occubuerunt. Fuerunt & alibi quoque multa prœlia commiſſa, dum alter alterum imperio exuere cupit. Noviſſimè Fridericus cum maximo exercitu Bavariam ingreſſus, eam igne ferroque vaſtavit, ac cum Ludovico memorabili prœlio congreſſus, in quo ſupra quadraginta hominum millia ceciderunt, à Ludovico ſuperatus in caſtrum Triſſneck abductus eſt. Cumq; triẽnio in cuſtodijs maceratus eſſet, tandem præmiſſis quibuſdam conditionibus, iureiurando & litteris corroboratis, liberatus, ac in Auſtriam reductus, cum magna lætitia ab univerſo populo ſuſceptus eſt. Nec multo poſt, cum ob perpeſſas adverſitates, paulatim tabeſceret, dyſenteria reſolutus, mortuus eſt, id. Ianuarij, An. Ch. 1329.

Vixit Annos. . . . .

Imperavit, { An. 7. M. 11. D. 12. / captus 3 —— 0 —— 0. / poſt 4 —— 3 —— 15.

Sepultus Murbachi.



138. *Quod palam, hoc clam.*

HIc fœmore tenus, ſtatua in baſi ſtat, hoc Symbolo adnexo:
ADHVC STAT.

Haud dubiè, quod vt fundamentum, eſt ædificij firmamentum; ita conſilium Regis, ſit fundamentum regni Vt, vulgò homines, alia in Principe obſervent: quemadmodum domus parerga potius, quam domum. Demoſthenes profectò, cum alij alia laudarent in Philippo Rege Macedoniæ, vituperare illas laudes & regias quærere. Quæ illæ? inquies: ſe regere, vti opinor, & Remp gerere. *Typotius.* vidi & aliud Symbolum huius Principis; huiuſmodi: *Quod pudeat palam, clam ne feceris.* Cum quo congruit Philolai illud, qui præcipit, ſeipſum maximè vereri. Quod Auſonius ſic interpretatur:

Turpe quid acturus te ſine teſte time: & Iſocrates: S*i quid unquam turpe admiſeris, ne ſperato fore clam.* Nam ut alios id celes, at ipſe tibi eris conſcius. Seneca: *Si honeſta ſunt quæ facis, omnes ſciant: ſin verò turpia, quid refert neminem ſcire, cum tu ſcias?*

139. LVDOVICVS IIII. CXXXIX. ROM. IMP.

LVdouicus IIII. Bauariæ Dux, Ludouici Senioris & Mechtildis filius, imperij adminiſtrationem, ob quam totis octo annis varia fortuna cum Friderico Auſtrio pugnauerat, ſolus adeptus eſt Anno 1329. & quidem inuito Pontifice, à quo cum ſe diris deuotum intellexiſſet, Italiam ingreſſus, ingentibus copiis primo Tridentum, deinde Mediolanum petiit. Inde Romam, acceptis 24. nobilioribus Mediolanenſibus ciuibus tanquam obſidibus, contendit, ab vniuerſo populo honorificè ſuſceptus, à quatuor laicis Vrbis Senatoribus coronatus eſt. Ioanne dignitate Papati deiecto, à quo excommunicatum ſe indigniſſimè ferebat, Petrum Corbarienſem Minoritam Pontificem creauit: quem & Nicolaum appellari voluit: & ne quid ad ferendas diſcordias malorum deeſſet, tyrannis, in iis oppidis, quæ Pontificij iuris erant, priuata auctoritate inſtitutis, Germaniam repetiit, & Francofordiæ comitia celebrauit. Cum abſolutionem à Ioanne, Benedicto, Clemente, Pontificibus, obtinere nulla ratione poſſet, niſi imperio renunciaret, in ſacerdotes & monachos magnam perſecutionem inſtituit. Tandem Clementis VI. auctoritate, ab Electorum parte Lucemburgi, Carolus, regis Bohemiæ filius Cæſar deſignatur, depoſito Ludouico. Qui venatione deditus cum vrſum ingentem impetu quodam viriliter peteret, de equo præcipitatus, corpus graui colliſione læſit: deſtitutusque paulatim viribus, obiit 5. Id. Octob. An. Ch. 1347.

Vixit Annos......

Imper. { in ſchiſmate An. 7. M. 3. D. 15.
poſt Friderici morte An. 18. M. 0. D. 13.

Sepultus Monachij.



139. *Huiuſmodi comparãdæ opes ſunt, quæ ſimul cum naufragio enatent.*

AQuila eſt hic orbi hiulco inſidens, ita, vt unguibus hiatũ cohibeat. Cum Hieroglypto concordat ſymbolum ex eo natum.

DIVISVM IVNGAM.

Quo (hic Cæſar) ſibi de competitore victoriam promitteret. Hæc *Typotius* Sed haud ſcio, an non potius Hieroglyptus ſignificare voluerit, Imp. diuiſiones & diſſenſiones tunc temporis ortas, ſedaturum & orbem diuiſum, Aquilâ (quâ Imperij vigor deſignatur) reiuncturum.

Anno.Ch.1346.Idib.Iulij,Carolus IIII. Ioannis regis Bohemiæ filius, Rex Romanorum (contra Ludouicum V. excõmunicatum & Imperio priuatum, iuſſu Clementis Papæ VI.) appellatus eſt; ſed tantum ab Electorum parte, videlicet ab Archiepiſcopo Gerlaco de Naſſau, Moguntino, recens à papa Clemente electo, Vualderano Colonienſi, Balduino Treuerenſi, Io. rege Bohemia pratre ſuo, & Rodulpho duce Saxoniæ. Mortuo tandem Ludouico V. altera Electorum pars Comes Palatinus Rheni archiepiſcopus Moguntinus à papa Clemente VI. priuatus, & Marchio Brandeburgenſis, interregnum eſſe pronunciauerunt, quod Carolus IIII. nequaquam legitime creatus eſſet. Et ſic interregnum hic An. 1. M. 3D. 22. à quibuſdam conſtituitur. Onuph.

140. C A-

140. CAROLVS IIII. CXL. ROM. IMP.

CArolus IIII. Ioannis Bohemiæ Regis ex Elizabetha filius, cum Germani principes Edoardum Anglum, & Miſnenſem, Principem, ac Guntherum de Schuarzenburg regem, huncque Carolum, diviſis ſtudiis Cæſarem declaraſſent, altero poſt alterum vita functo Anno 1349. ſolus imperio potitus, Romamque profectus, à duobus Cardinalibus, ad eam rem ab Innocentio VI. miſſis coronatus eſt: ea pactione, vt neque Romæ, neque in Italia diutius moraretur. Inimicitias cum Ludovico Hungarorum rege genero ſuo habuit, quæ opera Vrbani V. Pontificis per legatum mitigatæ fuerunt, eoq; res deducta, vt Carolus neptem Gazimiri magni (qui à partibus Ludovici ſtabat) Poloniæ Regis, Elizabetham Boguſlai Stetinenſium Ducis filiam, defuncta Anna, quartam vxorem duceret, ad Nuptiaſque Craccoviam Poloniæ Regiam, cum ſplendido comitatu veniret. Princeps quidem clarus, ſapiens & literarum ac linguarum cognitione inſtructus, maiorem tamẽ regni ſui Boëmici, & rei ſuæ privatæ quam Imperij & publicæ rei curam habuit. Vnde Pragam Bohemiæ Metropolim lõge ampliorem reddidit, propugnaculiſque munivit, Eccleſiam ibidem erexit, publicum gymnaſium inſtituit, multa collegia Canonicorum & Monaſteria fundavit. Filium ſuum Venceſlaum Romanorum regem aſſenſu Principum deſignavit. Altero deinde Anno, valetudine adverſa correptus, obijt. 6. cal. Martij, an. Ch 1379.

Vixit Annos.

Imperavit { in ſchiſmate Annos. 5. / ſolus An. 29. M. 6. D. 24.

Sepultus Pragæ.



140. *Optimum aliena inſania frui.*

LYnx eſt acuto viſu, maculoſo tergore. Audaciæ ſimulachrum Carolus vult. Timidam tamen Horatius appellat. Olaus Magnus ab ignavia tuetur: cui de animali patriæ, ſcribenti debemus aſſentiri, præſertim ſi etiam cum cervis bellum gerit, vt credit Geſnerus. Cervi enim in Suecia non ſunt. Certè, quæ prævidemus, minus timemus. Vt illa perſpicacia, feram omnia contemnentem faciat, &c.

NVLLIVS PAVET OCCVRSVM.

Alterum etiam Symbolum huic Principi ſapientiſſimo attribuitur. Cum n. à Principibus Imperij, vt expeditionem in Turcas ſuſciperet, admoneretur: reſpondit, poſſe quidem ſe copias in eos educere: verum quam non fieri poſſet citra maximam Chriſtiani ſanguinis effuſionem, ſatis ex avorum hiſtoriis ſe compertum habere: Proindè *Optimum eſt* (inquit) *aliena inſania frui.* Quod ex Plinio ſumptũ eſt: Rectè ille quidẽ alieno ſe periculo ſapere velle dixit: ut Mimus habet: *Bonum eſt, fugienda aſpicere in alieno malo*: Cum quo congruit Plautianum illud:

Fœliciter ſapit, qui alieno periculo ſapit.

Et Iuvenalis illud:

Fœlix, quem faciunt aliena pericula cautum.

141. MD-

141. VENCESLAVS. CXLI. ROM. IMP.

VEnceſlaus ex Anna vxore Caroli IV. filius, quinto decimo ætatis anno, patre id vehementer vrgente, in Regem Romanorum Francofordiæ, â principibus electus, patre mortuo cum ei circa annum Domini 1379. in Imperio ſucceſſiſſet, illi, auoque longè ſe diſſimilem oſtendit: luxui, ignauiæque deditus, adminiſtrationem imperij prorſus neglexit. Vnde à Baronibus captus, quatuor menſibus cuſtodiæ traditus, per fratrem Ioannem Marchionem liberatus eſt. Sigiſmundus frater, vt ſibi Bohemiæ Regno céderet, contendebat: & non obſcure fauebant ei Bohemi proceres. In gratiam eius etiam Dux Auſtriæ Morauiam infeſtare videbatur. Quam igitur obuiam iret aduerſariorum conatibus Venceſlaus, & regnum ſuum ſtabiliret, Vladiſlai Iagellonis Poloniæ Regis amicitiam & ſocietatem certo fœdere ſibi adiungere ſatagebat, quem Vratiſlauiā precibus euocatum, & quinque millibus equitum comitatum perhumaniter lauteque accepit. Tandem à fratre Sigiſmundo captus, & Viennæ in carcere aſſeruatus, Germanorum procerum conſenſu, Imperio deturbatus eſt; ex ira in apoplexiam incidens, ac paralyſi, diebus 18. laborans, animam miſerè exhalauit. 13. Cal. Septembr. An. Chr. 1400.

Vixit Annos 57.
Imperauit An. 21. M. 5. D. 28.
Sepultus Pragæ.



141. *Moroſophi moris omnibus præcellunt.*

VEnceſlaus, ſi cætera infra Maieſtatem Imperatoriam; hoc ſupra multos Regum & Cæſarum: quod, cui reluctari non poterat, ceſſerit fortunæ: nec in fratrem quidquam grauius ſtatuerit, quem fortuna dedit aliquando in poteſtatem. Hoc vult cum Naui & cœlo & mari agitata: tum ſententia mediusfidius graui:

TEMPESTATI PARENDVM.

Adagium vetus ad hoc conuenit: *Noſce tempus.* Et rectè illud & omninò diuinè: Qui tempori paret, neceſſitati paret: qui, neceſſitati, fato paret: qui fato, voluntati paret diuinæ: cui, profectò repugnare nec tantum eſt, nec facile. Nam, ut Manilius canit: *Certum eſt & ineuitabile fatum*: quod, ſecũdum Ouidium, ratio vincere nulla poteſt. Menander:

Pugnare cum diis, cumque fortuna graue eſt.

Fatum nemo poteſt effugere; teſte Pindaro.

Euripides ait: *Neceſſitatis aut fati nulla eſt fuga.* Quapropter omni arte efficacius eſt Tempeſtati parere, maximè in rebus aduerſis, aut in bello, teſte Q. Curtio.

142. RVPERTVS. CXLII. ROM. IMP.

RVpertus ſiue Robertus, Dux Bauariæ, & Comes Palatinus Rheni, filius Ruperti Adolphi & Beatricis, poſt depoſitum ab imperio Venceſlaum Anno Chriſti 1400. ab Electoribus legitimo ſuffragio Cæſar creatus, ab Epiſcopo Colonienſi inauguratus eſt, electionem eius Bonifacio IX. vehementer comprobante; à quo cum imperij coronam accipere deſideraret Rupertus, Romamque profectionem inſtituiſſet, a Galeatio Mediolanenſi, quem Venceſlaus Ducem fecerat, itinere intercluſo, in Germaniam impos voti rediit. A Florentinis tandem ad comprimendam Galeaciorum potentiam euocatus, in Italiam ſecundo deſcendit, præſidioque ducis Auſtriaci & Epiſcopi Colonienſis deſtitutus, congreſſus cum Vicecomite ſuccubuit, fugaque ſaluti conſuluit. Vnde ad Tridentinos & Venetos delatus, ab eis honorificentiſſimè acceptus, & in Germaniam per Alpes cum equitatu reuerſus, nunquam poſtea ſibi perſuaderi paſſus eſt, vt in Italiam rediret: quam ſuis ſe vulneribus conficere permittens, res Imperij ſui cum diligentia tractare maluit. Poſt pleraque autem egregiè geſta, inſperato in Oppenheim diem ſuum obiit. Cal. Iunij, Anno Chriſti 1410. *Volaterran. lib. 23. Egnatius. Appendix S. Aurel. Victoris. Treterus.* &c.

Vixit annos.............
Imperauit An. 9. M 8 D. 22.
Sepultus Heydelbergæ.
Interregnum fuit Menſium 3. D. 19.



142. *Miſeria res digna miſericordia.*

EFfigies Ruperti Imp. ex Tretero delineata eſt: loco auerſæ partis, inſignia Illuſtriſs. domus Princip. Elect. Palatinorũ, adiecimus. Alius inſuper nũmus pulcherrimus, argenteus, mihi ab amico communicatus, huius formæ magnitudinis & craſſitudinis: quem huius Principis eſſe, pro certo habeo, cum id, inſcriptio auerſæ partis:

RVPERTVS DVX & inſignia Elector. Palatin. in anteriore parte ſatis teſtentur. Repertus eſt hic nummus in Villa Grommen, ad Flu. Nitæ, ſiue Bintz, in Veterauia.

T ❡ 143. SIGIS-

143. SIGISMVNDVS. CXLIII. ROM. REX.

Sigiſmundus Caroli IIII. Imperatoris ex Ioanna filius, cū penè puer Ludovici Vngariæ & Poloniæ Regis filiam, natu maiorem Mariam, vxorem accepiſſet, ab eodem morituro Poloniæ Rex deſignatus, & à Polonis ſuſceptus, ob offenſas tamē quaſdam paulopoſt Regno exutus, in Vngariam profectus, poſt varias rerum converſiones, Hungariæ Rex, poſtea Cæſar creatus eſt Anno Chriſti 1410. Princeps probitate, eruditione, religioniſque propagandę zelo clariſſimus. Romam profectus cū Iohanne XXIIII. de tollendo ſchiſmate conſultavit. Cumque triennio cogendi concilij cauſſa magnam Europæ Partem peragraſſet, ſtudio diligentiaque ſua id perfecit, ut Conſtantiæ Synodo congregata, tres adulterini Pontifices dignitate privarentur, & Otho de Columna, Martinus V. poſtea vocatus, legitimè in Pontificem eligeretur. Mediolani poſtea de more imperatorio ferrea corona inſignitus, Parmam, Senas, Romamque profectus, à Pontifice Cardinalibus, Populoque Romano maximo apparatu ſusceptus, & Corona Cæſarea donatus eſt. In Boëmiam reverſus cum motus exortos componere ſummis viribus contenderet, morbo & ſenectute fatigatus, diem ultimum Znaim Moraviæ, clauſit. 5. Id. Decemb. An. Ch. 1437.

Vixit annos 69.
Imperauit an. 26. M. 8.
Sepultus Waraſin.



143. *Sic cedunt munera fatis.*

ORbem coronatum decenter vides. An gnomonem probes? neſcio. Quemadmodum n. non eodem omnes palato ſunt: cũ hos acria, illos dulcia capiunt; ſic nec ingenio. Vlyſſes tectus; Aiax nudus. Illi probaris facilè: huic minimè. Plures fortaſſe ſunt Vlyſſes, quam Aiaces. Et verè ſimulare, citrâ iniuriam, ſemper enim hæc abſit, ad rem, ſi cuius, Magiſtratus facit. Nam ſolers mater liberos infãtes prudenter decipit; quos perderet, omnia nudando. In populo autem quot ſunt infantes? Non quæro, ætatene? ſed vanitate. Rectè igitur.

NESCIT REGNARE QVI NESCIT DISSIMVLARE.

144. ALBERTVS CXLIIII. ROM. REX.

ALbertus II. Hungariæ ac Boemiæ Rex, Archidux auſtriæ, & Sigiſmundi Cæſaris gener, poſt eius obitum, omnium electorum vnanimi conſenſu, Imperator electus eſt. Cal. Ianuarij, Anno. 1538. Duodecimum annum agens patrem amiſit: ſub patruis tutoribus inter ſe digladiantibus, gravia perpeſſus eſt. Eliſabetham Sigiſmundi Cæſaris filiam vxorem duxit, dotiſque nomine inſigniores Moraviæ Vrbes accepit. Cum Cazimiro Vladiſlai Iagellonis Poloniæ Regis filio (qui poſt mortem Sigiſmundi Cæſaris à Bohemis in duas factiones diviſis, Rex Boemiæ electus fuerat) bellum gerere cœperat: ſed induciis quadrimeſtribus, ad conſtituendam pacem, opera legatorum Pontificis & Concilij confectis, in Vngaria contra Turcam Amurathem, qui incurſionem in Regnum illud fecerat, profectus eſt. Cumque ad eius adventum Amurathes retrofugiſſet, ac Albertus copijs diſſolutis Budam rediret, calore ferventis Auguſti vexatus, Peponibus ſitim ſedare volens, in ſolutionem ventris incidit, prope Strigonium, Princeps religioſiſſimus & liberaliſſimus mortuus eſt. 6. Cal. Nov. An. Ch. 1439.

Vixit Annos......

Imperavit An. m. 9. d. 27.

Sepultus Albę Regali, Hungariæ.

144. Amu-



144. *Amicum ne temerè aſciveris, aſcitum ne leviter reieceris.*

SIgnum militare hic à ſignifero exceptum, nec ab eo ſolo geſtatur: habebat enim ſignifer laboris ſocium. Et ſunt cuſpides haſtarum in utraque parte ſigniferi. Signum, inquam, militare, quod à Perſis (nam aquilam Xenophon notat in expeditione Cyri) per Macedonas Imperij ſucceſſores, ad Romanos tranſiiſſe aliqui volunt. Qui autem ſocio præceptum vult, in hoſtes videtur miſſurus, quod dubiis in rebus ad concitandos militum animos, factum legimus frequenter. Atque hæc ſub oculos cadunt Quod autem cœlitus datur; à Deo pendere victoriam Imperator oſtendit. Ita videor Hieroglypta intelligere. Quod autem victoria fugam neſciat, non ſcio, quid Albertus II. velit. Nam ipſe in apparatu belli Turcici in agro Strigonięſi mortuus eſt: & fortuna in bello ſæpe mutat vices, ut propior victo ſit ſæpius, qui tandem vincit. *Typotius.*

145. FRIDERICVS IIII. CXLV. ROM. IMP.

FRidericus IIII. ex Erneſto Duce Auſtriæ, & Cimbarca Ziemoviti Maſoviorum Ducis filia natus, concorditer ab Electoribus Francoforti Cæſar creatus Anno Chriſti. 1440 Aquiſgrani coronatus eſt. Italiam ingreſſus omnique honoris genere paſſim exceptus, in Senenſi vrbe cum ſponſa Heleonora, Regis Portugalliæ filia, nuptias perfecit. Romam veniens incredibili lætitia exceptus, à Nicolao V. Pontifice vna cum coniuge coronam imperij ſuſcepit. Hinc Neapolim divertit, in Alphonſi Regis gratiam, cuius Heleonora perneceſſaria erat. A Venetis quoque liberaliter & munificè exceptus, cum in Auſtriam rediiſſet, omnia tumultuum plena reperit, & Viennæ à civibus obſidione preſſus, principum aliorum ope, liberatus eſt. Pacatis rebus, privati penè more Romam petiit, de recuperanda Conſtantinopoli (quam Mahometes Turca, Conſtantino Palæologo Imperatore occiſo, Gerlucæ cuiuſdam Græci proditione, cum maxima Chriſtiani nominis ignominia & diſpendio occupaverat) conſilia capturus. Defunctis Alberto fratre, & Ladiſlao, Archidux Auſtriæ ſolus factus, & Rex Hungariæ à multis deſignatus, cum Matthia Hunniade Rege itidẽ electo, bellum Pannonicum geſſit: quòd morte Matthiæ, tandem ſolutum eſt. Filium Maximilianum à Flandris captum, Flandria vaſtata liberavit, imperiique conſortem fecit. Ex ætate & labore ſtomachi in morbum incidens, alvoque reſoluta Lintzy obiit. 14. Cal. Septemb. An. Ch. 1493.

Vixit annos 77. M. 11. D. 3.

Imperavit An. 52. M. 7. D. 19.

Sepultus viennæ.



145. Rerum irrecuperabilium fœlix oblivio.

LEges & arma in promptu habes. Illæ regunt, hæc tuentur Imperium. A Iuſtiniano habet Imp. Fridericus, ut ſine quibus Imperatores, non modò Imperium, ſed ne nomen quidem tueri poſſunt. *Typotius.*

Parva autem ſunt foris arma, niſi ſit conſilium domi. Armis igitur & conſilio, quæ gladio & libro hic depinguntur, omnis civilis ſocietas, & terrarum orbis conſervatur & defenditur; quapropter rectè additum:

HIC REGIT, ILLE TVETVR.

146. MAXIMILIANVS. CXLVI. ROM. REX.

MAximilianus, Friderici II. & Heleonoræ Portugallenſis filius, decimum octavum annum agens, filiam Caroli Audacis Burgundi, in vxorem duxit, atque in Flandria nuptias celebravit, ſed ſexto matrimonij anno, vxorem vterum geſtantem, ex equo dum curſibus ſequitur apros, delapſam, & ex eo caſu lethaliter ægrotantem amiſit. Patre vivente, & octavo ante mortem eius anno, Romanorum Rex Francofordiæ creatus eſt, Anno. 1486. ætatis XXVIII. Biennio poſt, Brugis captus, in aromatarij cuiuſdam domo, cuſtodiæ per novẽ menſes traditus, decollatis pleriſque in eius conſpectu nobilioribus aulicis ſuis, non ſine horrendo ac ſtupendo quodam timore, per patrem Fridericum, cum exercitu triginta duorum millium venientem, liberatus eſt. Matthia Rege Pannonię defuncto, eius ditionem ſibi vendicavit. Varia bella geſſit. Italicum contra Carolum Francorum Regem: Helveticum non ſine ſuorum iactura, Bavaricum contra Rupertum Palatinum Rheni: Hungaricum ac deinde Venetum, quod vario eventu tractavit. Princeps magnus bello, pace tamen præclarior: cuius eximia bonitas, liberalitas ſumma, & pietas commendatur. Cum ſe morti vicinum ſentiret, ſanxit, vt ſuarum provinciarum rectores ac præſides, cum omnibus officialibus in ſuo quiſque ſtatu, quoad alter nepotum in Germaniam commigraret, perſeverarent: ac poſtea ventris profluvio, Wels Auſtriacæ mortuus eſt. Id. Ianuarij, An. Ch. 1519.

Vixit Annos 59. M. 9. D. 21.

Imperavit { cum patre An. 7. M. 6. D. 4.
Solus autem An. 25. M. 4. D. 25.

Sepultus Neoſtadij, Auſtriæ.
Interregnum fuit, Menſ. 5. D. 16.



146. Tene menſuram, & reſpice finem.

SEx radijs Myſtæ rotam vitæ humanæ fulciunt: propter totidem vices: Quam aſpidem acumine gemino per internodia dirimunt; huius vitam laborioſam volunt. Volvitur autē hæc rota ſub mundo, qui mundi Principem notat, cuius vox quoque exauditur: PER TOT DISCRIMINA rerum. Quot verò? Quot acini ſunt Punici mali. Sed &, ut hoc duri corticis eſt & inſuavis; ita acini grati: nuclei medici. Ad rem accommodatè. Nam dulciſſima eſt, rectè factorum recordatio. *Typotius.*

147. CAROLVS V. CXLVII. ROM. IMP.

CArolus V. Phillippi Archiducis Auſtriæ, ex Ioanna Aragonia filius, Maximiliani Imperatoris nepos, Hiſpaniæ, & Siciliæ Rex, dum in Hiſpaniis ageret, communibus Electorum ſuffragiis, Anno 1519. Cæſar creatus, anno ſequenti Aquiſgrani coronatus eſt, Princeps omnibus pij, prudentis, fortiſſimiq; Imperatoris dotibus cumulatus. Franciſco Galliarum Regi bellum intulit, eumq; captum libertati ſub certis conditionibus reſtituit. Poſt Romam, à Borbonio Duce direptam, in gratiam cum Clemente VII. Pont. Max. rediens, ab eo Bononiæ Anno 1530. Imperiali diademate ornatus eſt. Viennam cõtra Solymani Turcarum Regis impetus defendit. Tunetum & Goletham in Africa, in poteſtatem redegit. Cum Gallo Rege ad pacis fœdera amplectenda à Paulo III. Pontifice ſe adduci paſſus eſt. Fœdus contra Turcam, cum Pontifice & Venetis iniit, licet eius optabilis fructus ſubſequi tunc nõ potuerit. Algerianam in Africam expeditionem, claſſe vi autumnalium tempeſtatum diſiecta, valdè infauſtam ſuſcepit. Bellũ in Germania contra Proteſtantes geſſit, quos captis Io. Friderico Electore Saxoniæ, & Phillippo Lantgrauio Haſſiæ, domuit. Galliæ Regi Henrico, qui Mauritio Electori Brandeburgico, aliisq; ſe coniunxerat, viriliter ſe oppoſuit. Poſt inſignes victorias & plurimas res in imperio præclarè geſtas, Deo ſoli vacare deſiderans, euocato ad ſe ex Anglia Philippo filio, ei ditiones omnes, & Regna ſibi ſubiecta, tradidit, miſſaq; inſigni legatione ad Electores Principes, qui Francofurti conuenerant, Anno 1558. imperio ſe ſpõtè abdicans, in Ferdinandum fratrem ſuum illud tranſtulit. Ex Belgio tandem in Hiſpaniam profectus, omnibus ſeculi curis liber, in ſolitudinem & Monaſterium Sancti Iuſti, propè Palentiam monachorum Diui Hieronymi, cum duodecim familiaribus conceſſit, vbi cum menſes aliquot Diuinarum rerum meditatione conſumpſiſſet, vitam concluſit. Die 21. Septemb. An. Ch. 1558.

Vixit Annos 58.
Imperauit An. 39.
Sepultus in Hiſpania.



147. Nulla victoria ſine clementia.

COlumnæ hic videntur binæ. Inter eas Aquila, alis vtramque contingens. Coronatæ vtrobique. Herculis appellant, ſiue montes Calpen & Abylon: ſiue æreas verè columnas: quod vlteriora, omnia eſſe mare, creditum ſit vulgo. Nam Platonis in Timæo, alia longè ſententia eſt: & vltra eſſe, ſi nō continentem, inſulas, Sertorius apud Plutarchum oſtendit. Columbus An. Ch. 1482. auo materno Caroli V. Imp. orbem nouum aperuit. Carolus plura detexit, atque occupauit. Vnde Symbolum ex Pindaro ſumptum:

PLVS VLTRA.

De quo Poeta:

PLVS VLTRA Herculeas, Calpen Abilamq́; columnas,
CAROLE, victoris nobile nomen habes.

Cum his ipſis columnis Herculeis ſuperatis, nouum mundum nobis aperuiſti, monumentum certè Laudis tuæ perpetuum futurum. Benè Poeta:

Struxit in extremo quas æquoris orbe columnas,
Qui ſatus Alcmena de genitrice fuit:
Has virtute tua ſuperaſti CAROLE Cæſar:
PLVS VLTRA rebus ſorte fauente tuis.

148. FERDINANDVS CXLVIII. ROM. IMP.

Ferdinandus. Archidux Auſtriæ, Caroli Imperatoris frater, Bohemiæ Rex, poſt Ludouici Hungariæ Regis contra Turcas dimicantis interitum, diuiſis procerum ſtudiis Ann. Chr. 1526. Hungariæ Rex electus. Ioannem Vayvodam (qui ab alia factione Rex itidem creatus fuerat) regno exuit: quem Solymanus Turcarum Imperator, cum maxima floretiſſimi Hungariæ Regni iactura, in principatu reſtituit. Anno 1531. Coloniæ Principum Electorum ſuffragiis, Romanorum Rex creatus, Aquiſgrani coronationis ſuæ inſignia ſuſcepit. Anno 1537. Miſſis ad Exechy obſidionem copiis, cum Turcis valdè infeliciter conflixit, Anno 1540. Mortuo Ioanne Hungariæ Rege, ad Pannoniæ Regnum animum adiiciens, eius complures ciuitates, & munitiones recuperauit: qua occaſione, Solymanus Turca, dum filij Regis demortui ſe defenſorem ſimulat, non modo luctuoſiſſimo bello extremum exitium Hungariæ attulit, ſed & contiguas ei prouincias miſerè afflixit, Ferdinando ſeſe pro viribus opponente. Anno 1545. Boëmos tumultuantes, punitis nonnullis ſeditionum auctoribus, compeſcuit, regnumque illud pacatum reddidit. Anno 1558. abdicante Carolo V. Imperij gubernacula, ex Principum Electorum decreto ſuſcipiens, illud cum maxima pietatis religioniſque laude ita adminiſtrauit, vt magnum ſanctitatis innocentiæque nomen ſibi meritò apud omnes comparauerit. Tandem plenus dierum Viennæ Auſtriæ, diem extremum clauſit. 7. Cal. Auguſti, Ann. Chr. 1564.

Vixit Annos 61.
Imperavit An. 6.
Sepultus Viennæ.



148. *Fiat Iuſtitia, aut pereat mundus.*

BIceps Aquila imaginem Crucifixi geſtans, Ferdinandum Imp. proponit, omnia ſua cum Imperio, committentem Deo. *Typotius.* Huic ſymbolum eſt additum:

AQVILA ELECTA IVSTE OMNIA VINCIT.

Mattheſius hoc Friderico III. tribuit. Sed Oct. de Strada, S. Cæſ. M. Antiquarius celeberrimus: hunc nummum inter alios Ferdinãdi Imp. (in Symbolis Pont. & Impp.) habet. Quo prudentiſſimus Cæſar ſignificare voluit, magiſtratu legitimè electo, nihil eſſe ſanctius, nihil magnificentius, nihil denique ad victoriam & fœlicitatem in bello & pace conſequendam præſtantius. Inſigne Imperij eſt Aquila, auium regina & miniſtra fulminis, ut Flaccus loquitur: à quo ea tamen ſemper eſt tuta ac ſecura, tanquam Iouis ales, quæ omnium gentium conſenſu, cum Imperij & Regni, tum etiam fœlicitatis ac victoriæ diuinitus quaſi de cœlo miſſæ, manifeſtum dediſſe augurium quamplurimis exiſtimatur. De ea lege ſub num. 64.

149. MAXIMILIANVS II. CXLIX. ROM. IMP.

MAximilianus II. Ferdinandi Cæſaris ex Anna Hungariæ Regina filius, Anno Domini M. D. LXX. II. Menſe Nouembri communibus Electorū Principum ſuffragiis, Francofurti in Romanorum Regem electus eſt. Anno verò M. D. LXX. III. Poſſonij Hungariæ Rex, cum multa celebritate, ſollennibusque ceremoniis, coronatus fuit. Poſt obitum Ferdinandi Patris, imperij adminiſtrationem ſuſcipiens, duce fortiſſimo & clariſſimo Lazaro Suendio, viro militaris rei peritiſſimo, bellū indixit Ioanni Tranſiluaniæ Principi, Veſprinum ac Tatiam illi ademit, Strigoniumque obſidere parauit. Aduentante in Pannoniam Turcarum Imperatore Solymanno, cum valido & numeroſo exercitu, Anno M. D. XX. VI. Maximilianus cum octuaginta millibus militum ſeſe illi oppoſuit: tum prius ſub fratribus Ferdinando & Carolo duos alios exercitus ad fines miſiſſet. Claſſem quoque naualem in Danubio inſtruxit Mortuo ad Cigethum Solymanno, exercituque illius domum reuerſo, Imperator ſuum quoque exercitum dimiſit. Poſt Henrici Valeſij Regis ex Polonia in Gallias diſceſſum, diuiſis Electorum ſtudiis, quorum pars Stephanum Battoreum Tranſiluaniæ Principem, Regem proclamauerat, Maximilianus Anno M. D. LXXV. Poloniæ Rex electus fuit: cui electioni cum poſt plures Menſes conſenſum præbuiſſet, Stephano Rege iam Craccouiæ coronato, cum Regno illi, propter diuerſarum partium ſtudia, maximum periculum immineret, ipſe coactis Ratisbonæ Imperij comitiis, Rudolphoque filio ſucceſſore deſignato, Menſ. Octob. An. Ch. 1576. animam Creatori reddidit.

Vixit Annos 49.
Imperauit An. 12.
Sepultus Lintzium.



149. *Dominus prouidebit.*

AQuila cum inſignibus Auſtriacis & Cæſareo diademate, deſignat Cæſarē Max. Mūdus verò, quidquid in mūdo eſt. Sceptrum autem eius: Enſis, arma, quibus ius vindicandum eſt. Quod quia difficile, Domino orbis, rem permittit. *Tipotius.* Ad quod Symbolum ſic quidam:

Quid tecum Fortuna mihi, quid cura maligna eſt,
Si rebus DOMINVS PROVIDET ipſe meis?
Prouidet ipſe mea vita Deus atque ſaluti:
Ille meus Dominus, ſit Deus ille meus.

Hoc Symbolo (ex Gen. cap. 22. deſumpto) teſtatum fecit optimus diuusq; Cæſar, prouidentia Dei omnia gubernari, & ſe aduerſus omnes humanos caſus huius prouidentiæ firmiſſimo præſidio munitum eſſe. Itaq; hoc illi ratum, firmum & fixum, nihil vnquam eueniſſe, nihil vnquam euenturum, quod Dominus ille cœli & terræ non prouiderit, Imperia Deo auctore conſtitui, & eodem cuſtode ſuſtentari.

150. RODOLPHVS. II. CL. ROM. IMP.

RODOLPHUS II. ex Maximiliano ſecundo Imp. & Maria Caroli V. Imp. filia, natus eſt, Viennæ, XVIII. Iulij Ann. Chr. M. D. LII. Hungariæ primùm, deindè concordibus Principum Electorum votis, Romanorum Imp. in Comitiis Ratisbonenſibus creatus Anno M. D. LXXVI. rerumque nunc feliciſſimè potitur. Princeps heroicis virtutibus ſingularis, quem ut Deus Opt. Max. diutiſſimè vniuerſæ Reipublicæ Chriſtianæ præſeruet ac tueatur, ex intimo animi mei affectu vehementer opto. Tu, lector quiſquis es, mecum.

FINIS.

Breuitas memoriæ amica.

150. Omnia



150. *Omnia ex voluntate Dei.*

HIc Aquila volatile telum tenet, vibranti ſimilis, ſedens in faſcia, cuius Symbolum eſt:

A. D. S. I. T.

Supple, inquit de Schola aliquis. Dominus. Myſta ſingulas etiam literas ponderat, vt in nomine Adam Beda ſecutus Græcos. A. Adiuuante. D. Domino. S. Superabo. I. Imperatorem. T. Turcarum. Ego piis votis applaudam: Quod faxit Deus præpotens & immortalis. Verſibus id variis expoſitum Secret. Beruitio iam Pelſenæ impoſui ad Sac. Cæſ. Mai. Hoc ſum breuior. *Iac. Typotius.* Alij alias huius ſymboli adferunt explicationes, Quidem ſic verſa intrepretatus eſt.

Auxilium Domini ſit Iniquis Terror: id alta
Symbola portendunt Cæſaris, ADSIT ait:

Non nemo.

Auſtria Domus Secura Iouis Telorum.

FINIS.

INDEX VERBORVM ET RERVM COPIOSIOR.

NVMERVS INDICAT Paginam.

A

AAA 3
Adolphus 274
Adſit 305
Æmilianus 86
Æternitas 75.127.241
Aetius 166
Alaricus rex 160.162
Albertus I. 276
Albertus II. 292
Albogalerus 3
Alēmani vide Franci
Alexander Seuer. 60
Alpha & Omega 141
Ambroſius 158
Alphonſus rex 271
Amphitheatrum 21
Amicus 293
Anaſtaſius I. 174
Anaſtaſius II. 207
Annona 97
Antonioos 30
Antoninus Pius 16
Antoninus Caracalla 50
Anton. Elagabalus 58
Apis deus 145
Apollo 87
Aquila legionaria 11
Aquila Iouis 93.129
Aquila 2. capitibus 221
Arcadius 16
Ardaburius 170
Armenici victi 37
Arnulphus 232
Artabanus Parthorũ rex 54.57
Aſpacis 170
Aſpergillum 65
Athanaſius 144
Attila 164
Auguſtus 4
Aurelius Antoninus 17
Aurelianus 100

B

Balbinus 68
Bernardus 256.258
Bigis 53
Boleſlaus rex 244
Boſphorus congellatur 212

C

Caducius 8.83.279
Cæſar 2
C. Caligula 8
Caligulæ ſorores 9
Capedo 65
Carinus 212
Caracalla 50
Carolus Magnus 220
Carolus II. Caluus 228
Carolus III. Craſſus 230
Carolus IIII. 284

Caro-

Carolus V. 298
Carus 108
Caſtra prætoria 11.117
Circi deſcriptio 31
Circi vſus aut ludi 51.52
Circus Max. 75
Claudius I. 10
Claudius II. 96
Clementia Dea 47
Clodius Albinus 46
Clypeus votiuus 147
Colliſſeum 21
Colonia 93
Commodus 38
Comob 201
Chriſtiani Impp. inter Diuos relati 156
Concordia 71.119.159.223.
Congiarium 61
Congius quid ſit 61
Conob 185
Conradus I. 236
Conradus II. 248
Conradus III. 258
Conradus IIII. 270
Conſecratio 33.93
Conſtantinus Max. 131
Conſtantinus II. 135
Conſtantinus IIII. 186
Conſtantinus V. 194
Conſtantinus VI. 213.
Conſtantinus VII. 216
Conſtantius I. 119
Conſtantius II. 135
Conſtans I. 135
Conſtans II. 194
Coronæ Roman. 223
Cornucopiæ 3
Coſroes rex 186
Criſpus 131
Crucis lignum 186
Cyrillus occiſus 108
Cythara 87

D

Danubius 29.131
Decentius 140
Decius Traian. 78
Dextræ iunctæ 69
Diadumenianus 54
Dianæ templum 89
Didius Iulianus 42
Diocletianus 113
Diſſimulare 291
Dominus prouidebit 393
Domitianus 24
Donatiuum 61

E

Elagabalus 58
Electores inſtituti 244
Elephas 75
Epheſiorum Diana 89
Epochæ anni 177
Equeſter figura M. Aur. 35
Etruſ. Meſſ. Decius 78
Euticius Exarch. 244

F

Felix temp. Reparat 133
Ferdinandus 300
Feſtina lente 275
Fides 69.77.109.279.

Filippicus 205
Florianus 104
Focas 186
Fœlicitas
Fortuna Dea 43
Franci 95.237
Franconiæ inſignia idem
Fridericus Barbaroſſa 260
Fridericus II. 268
Fridericus III. 280
Fridericus IIII. 294

G

Galba 14
Galerius Maxim. 119
Galla Placidia 167
Gallinicus Patriar. 198
Gallienus 90
Gallus Treb. 84
Genius Deus 79
Genſericus 170
Geta 50
Germani Victi 62. 63.95
Gibellini 268
Globus 3.155
Gloria Rom. 150.219
Gloria noui ſeculi 1.3
Gloria Orbis 183
Gordianus Afric. 66
Gordianus III. 72
Gothi deuicti 96
Gratianus 152
Gubernaculum 3
Guelphi 268
Guillelmus rex 270
Guttus aut Guttulus 65

H

Hadrianus 25
Heluius Pertinax 40
Henricus I. 238
Henricus II. 246
Henricus III. 250
Henricus IIII. 252
Henricus V. 254
Henricus VI. 263
Henricus VII. 276
Heraclius I. 188
Hera.Conſtantinus 188
Heracleonas 192
Herena Imperatrix 216
Hieroſolyma reſtaurata 30
Hiſpania 15
Honorius 162
Hoſtilianus Imp. 74
Hungari fiunt Chriſtian. 246.

I

Iani templum 5
Ieruſalem Capta 23
Imagines 51
Indulgentia 47
Iouinianus 146
Irena 214
Iudæa capta 23
Iulia Maminea 60
Iulia Seuerij 52
Iulianus Didius 42
Iulianus apoſt. 145
Iulius Cæſar 2
Iuno Dea 47
Iupiter 25.113.127
Iuſtinus I. 176

Iuſti-

Iuſtinianus I. 178
Iuſtinus II. 160
Iuſtinianus II. 198
Iuſtitia. 301

L

Labarum 68.69
Lætitia 203.229.243
Lætus 38.40.46
Leo I. 171
Leontius, ſiue Leo II. 198
Leo III. 210
Leo IIII. 2 4
Licianus Valerian. 88
Lituus 3. 65
Licinius 127
Liuia Auguſti 4
Longinus Exarch. 211
Lotharius I. 224
Lotharius II. 256
Loqui ſcire 263
Ludouicus II. 226
Ludouicus III. 234
Ludouicus I. 222
Lucius Verus 18
Ludouicus IIII. aut V. 282
Lupa cum Rom.& Ro. 35
Lugduni pecunia ſign. 157

M

M. Aurelij fig. equeſt. 35
Macrinus 54
Magnus Maximus 154
Magnentius 140
Mahomet exoritur 186
Malum mutandum 263
Marcianus 168
Marcius Imp. 74
Marcus Aurel. 34
Mars 109.99.55
Martia Commodi 38
Martinianus 130
Martina Imperatrix 193
Mauritius 184
Maxentius 127
Maximianus Gader 119
Maximianus Val. 113
Maximinus II. Daza 123
Maximinus 62
Maximus 62
Maximilianus I. 296
Maximilianus II. 302
Medi victi 37
Mercurius 81
Meſſalina Claudij 10
Meta ſudans 21
Moneta Dea 105
Mores obſeruare 249
Mors non timenda 255

N

Narſetes exarcha 180.182
Nero 12
Nerua 26
Nicephorus 216
Nobilitas 58
Numerianus 55

O

Octauius Aug. 4
Opelius Macrinus 54
Origines 60
Otho I. 16
Otho II. 240

Otho III. 242
Otho IIII. 244
Otho V. 266

P

Palatinorum inſignia 289
Paludamentum 183
Pannoniæ 247
Parthici victi 37
Patera 49
Pater Patriæ 187
Patientia 209
Paulus Exarch. 211
Pax 245
Perſi victi 73
Pertinax 40
Peſcennius Niger 44
Phillippus pater I. 74
Phillippus filius II. 74
Phillippicus 205
Phillippus III 264
Phocas 186
Pietas 65.81
Plus vltra 299
Pons Traiani 29
Pontifex Max. 19
Pontificalia figura 63
Poſthumus 90
Pontus congellatur 212
Princeps iuuent. 111
Probus 107
Prouidentia 41.119
Pulcheria 168
Pupienus 68

Q

Quadrate cifre 251
Quadriga 125
Quint.Her. Etr. M.D. 78
Quintillus 98

R

Radagaſſus 163
Raptus Sabinarum 13
Religio Chriſtian. 235
Reparatio Reip. 149
Rhenus 93.95.237
Richardus rex 270
Rogerus rex 258
Rogus 33.93
Roma dea 233.155
Romulus 95
Rudolphus I. 252
Rudolphus I. aut II. 272
Rudolphus II. aut III. 304
Rubertus 288

S

Sabinarum raptus 13
Sacerdos Solis 59
Salon Valerianus 90
Sagum 107
Salus Reip. 131
Scolaſticus Exarch. 209
Seceſpita 65
Securitas 17.67.145.147
Seculares ludi 75
Septem zonium 21
Sept. Seuerus 46
Sapor rex Perſarum 73
Seuerus 123
Signa militaria 57.77
Signa occulta 251
Sigiſmundus 290

Sig-

Signum Conſtan. Max. 139. 141
Siſcia 149
Sol 101.123
Spes Dea 45
Stephanus rex. 247
Sueuiæ inſignia 259
Synodus Epheſina 164
Synodus Chalcedon. 168
Synodus Conſtantin. 196

T

Tacere 263
Tacitus 39
Tellus Dea 39
Templum Iani 5
Temporum Fœlicitas 233
Tempeſtati parendum 287
Terræ motus 7
Teſſera 67
Tetricus 100
Theodoſius I. 158
Theodoſius II. 165
Theodoſius III. 208
Tiberius 7
Tiberius II. 182
Tiberius III. 199
Titius Sabionorum dux 5
Titus 22
Toga 183
Traianus 28
Traian. Decius 78
Trebellius rex 198
Trebunianus Gallus 82
Treueris pecunia ſigna. 155.165
Trigis 53
Triginta Tyranni 92
Trium Viri monetalis 3
Triumphator G.B. 163
Tropheum 35.107

V

Valerianus Licin. 88
Valerian. Salon. 90
Val. Maximianus 115
Valentinianus I. 149
Valens 150
Valentinianus II. 154
Valentinianus III. 166
Vehiculatio remiſſa 27
Vencelaus 286
Veſpaſianus 20
Victoria Germanica 63.107
Victoriæ deſcriptio 171.201
Virtus 135.155.161
Vitellius 18
Voluſianus 84
Vota Romanorum 117
Vrbs Roma 155

X

Xerxes rex 60

Z

Zenobia regina 100.101
Zeno Imp. 172

FINIS.

A01 1475673

Digitized by Google